


Vol 3

IVLII VITALIS
EPITAPHIUM

CUM

Notis Criticis Explicationeq;

V. C.

HEN. DODWELLI

ET

Commentario

GUIL. MUSGRAVE.

Quibus accedit ILLIVS, *ad Cl.* GOETZIVM, *de* PVTEOLANA & BAIANA *Inscriptionibus*,

EPISTOLA.

EI συγχρωτίζοιτο τοῖς Νεκροῖς.

ISCAE DUNMONIORUM:
Typis *Farleyanis*: Sumtibus *Philippi Yeo*, Bibliopolae. Veneunt etiam *Londinii*, & in utraque *Academia*. MDCCXI.

Quis autem eſt, quem non moveat clariſſimis Monumentis teſtata, conſignataque Antiquitas? Cicero.

V. V. M.M.

THOMAE WROTH, Baronetto,

GUIL: WYNDHAM, Baronetto,

GENTIUM

Antiquarum, Nobilium, Amplarum

PRINCIPIBUS;

BELGII *nostri* *ORNAMENTIS;*

COMITATUS Somerset, *ad* Parlamentum,

MILITIBUS;

Reipublicae consultissimis;

PATRIAE PATRIBUS;

IULIUS VITALIS, Belga,

Luci jam denuo restitutus,

Salutem, Annos, ffelicitatem,


et Bonum in omnibus Eventum,

Vovet, et Precatur:

Ex Jussu

GUILH: MUSGRAVE.

John Hudson Script:



IVLIVS·VITA
LIS·FABRICIES
IS·LEG·XX·V·V·
STIPENDIOR
VM IX ANNOR XX
IX NATIONE·BE
LGA·EX·COLEGO
FABRICE·ELATV
S·H S E

b

c

Tabulam hanc, quæ repræsentat Julij Vitalis *Epitaphium, ad* Bathoniam, A.D: MDCCIIX *effossum, Antiquitatis studio flagrantibus D.D.Q.*

a Richardus Musgrave, Hasilburiensis.

PRAEFATIO

Editoris ad LECTOREM.

M*Inime dubitandum est,* Britanniam *Artes & Scientias, qua militares, qua civiles, a* Roma *veteri accepisse; sub* Claudio, *sub* Nerone, *sub* Domitiano, *sub* Adriano, *aliisque Impp. maximos Exercitus aluisse;* Septimium Severum *Imp. diu apud se moratum habuisse; eoque tempore, Mandata Imperatoria, per* Romanum *Orbem universum misisse; & in aliis rebus plerisque omnibus, tanquam ipsius* Romae *æmulam, egisse: Ut declarentur* Romanorum *in* Britanniis *Acta, & fide posteris tradantur, simulque Insulae nostrae praestetur Honos, nihil potius exspectandum, quam a* Nummis & Inscriptionibus; *quoniam iis nihil lucem & auxilium, hac in re, facilius praebiturum.*

Inſcriptiones *ad* Chronologiam, *ad* Hiſtoriam, *ad explicandam* Antiquitatem *propemodum omnem, adeo ſunt perutiles; ut illarum non raro* Verbi, *atque* adeo Literæ *unius ope & beneficio, quam Bibliothecae ampliſſimae, Libris inſtructiſſimae, harum difficultates melius & expeditius ſolvantur: ut illarum quicquid eruitur, ſumma utique diligentia cuſtodiri; iterum atque iterum perpendi; cum ejuſdem generis rebus aliis, ei vicinis, comparari; &, ubi obſcurum, explicari omnino mereatur.*

Hac de cauſa factum eſt, quod Julii Vitalis *Epitaphium, paucis abhinc annis ad* Aquas Solis *erutum, a Viris Literatis exſcriptum, ubique ſpargeretur, avidiſſime legeretur, & non uno Commentario illuſtraretur. Duos hic in publicum miſi; Sed ut Libelli inſtitutum melius intellegatur, & in eo, quae continentur, uno conſpectu videantur, Lectorem in ipſo limine praefari, paucis oportebit.*

Primo, ſiſtimus Epitaphium Julianum, *concinnum utique venuſtum, & multos Antiquitatis apices brevi complexum:*

quod

quod de Natione Belgica Britannica *Monumentum, ut videtur, unicum, in aes* Cyprium *accurate,* Tabula prima, *insculptum est.*

Deinde, Viri Doctissimi, Hen. Dodwelli, *dudum in Celeberrima* Oxoniensi *Academia Professoris* Camdeniani, *ad hoc Epitaphium,* Notas Criticas *& illius* Explicationem: (*Pag.* 1.) " *Ubi*
" *de* Fabricensibus *sub primis duntaxat*
" *Imperatoribus*; *de aliis, qui sunt* No-
" titiarum, *& utriusque* Cod.; *de Legi-*
" *bus* Comiti Sacrarum Largitionum
" & Praefecto Praetorii, *etiam post*
" Constantinum M. de Fabricensi-
" bus, *inscribi solitis*; *de* Praefecto
" Gallici Praetorii, Fabricae Britanni-
" cae *potestatem habente*; *de* Carausio,
" & Allecto, *huic* Fabricae *per suo-*
" *rum* Praetoriorum Praefectos *prospi-*
" *cientibus*; *de* Inscriptionis *hujus aeta-*
" *te*; *de* Legionis XX Fabricensium
" *Collegio in Urbe* Bathoniensi; quod
" *A. D.* 211 *antiquior haec* Inscriptio:
" Fabricensium *hoc* Collegium *an du-*

" *ritis*; *de* Siglis, & Punctis *Veterum*; " *de* Cryptographia, *ejusq; optimo Interprete,* Clariss. Wallisio; *Vulgaris* " *ut detegatur, a Linguae, cujus est usus,* " *ignarissimo; proponitur Obscurissima; de* " Phrasium *aetate varia, quaeq;* Latinarum *in* Cippis *usitatissima*; *de* Viis " *in* Britannia *Militaribus, a* Claudio " *inchoatis*; *de* Quadrivio Bathoniensi, " *ad quod* Vitalis *Sepulcretum, idq; praeclarum*; *de* Sepultura *in* Templo *non* " *admittenda,* & Templo *in* Aceldama *minime vertendo*; *de Vocalium aliquot figura, praecipue de* U *vocali arcuata* (*contra* Cellarium) *minime nova, imo ipsa* Latina Lingua *antiquiori*; *de* Inscriptionum *dignitate, hujus* " *speciatim*; *de earum defectu, a* Lapidibus *aetate* exesis, *a* Caelatorum inscitia, & transcribentium incuria; " *de modo repraesentandi earum optimo*; " *de* Cippi *hujus* Ornamentis, & Usu. *De quorum aliis fusius uberiusque, de aliis brevius angustiusque sic, ut opus fuit, disseruimus.*

Huic

Huic Commentario *præfixa est, Viro Spectabili Reverendoq;* Joh. Nicholas, *S. T. P. & Collegii S.* Mariæ Winton: *Custodi meritissimo, de hac Inscriptione,* Epistola; *(pag. 43.)*

Subjicitur Index Auctorum, *qui in hoc opusculo laudantur, emendantur, illustrantur, &* Epitome Rerum.

Haec ea sunt, quae in hoc Libello, de nobili isthac Inscriptione, *proferuntur. Qui de illa plura voluerit, adeat perlegatque* Animadversa *Viri Doctissimi* Tho. Hearne; *quae sub finem* M. Alfredi Vitae (Anglice, *ab eo, & perfectius quam antehac, in lucem editae) publicavit.*

Quicquid ex iis seu Fructus, seu Voluptatis oriatur (utriusq; vero multum a Notis Criticis, *&* Explicatione *oriturum arbitrandum est) Viro Reverendo, & non una ratione de Repub. Literaria bene merito,* Arthuro Charlet, *S. T. P. Collegii* Universitat. *apud* Oxoniam, *Magistro plurimum colendo, qui ad promovendam Inscriptionis Editionem non parum contulit, Lector id acceptum magna ex parte referat, oportebit. Vale,*

Vale, Lector, & Julio *noſtro, ſi id merebitur, permitte, quod de ejus* Ὁμωνύμῳ *praedixit* Tacitus; Multos Veterum, velut inglorios, & ignobiles, oblivio obruet; *Agricola* poſteritati narratus, & traditus, ſuperſtes erit.

GUIL. MUSGRAVE.

Iſcae Dunmon.
Kal. Junii.
MDCCXI.

V. D.
HENRICI DODWELL,
IN
JULII VITALIS
Epitaphium,
Notæ Criticæ, cum ejuſdem *Explicatione*.

Notæ Criticæ.

LINEA 2. *Fabriceſis* pro *Fabricenſis.* G & C alternant. Et N ſæpe omittitur. Vid. *Reineſ.* Ind. xix. Suſpicatur D *Halleius* legendum *Fabriciesis*. Ita litera G ſic concipienda fuerit, ut pars illius ad literam I referenda intelligeretur. Videndum

dendum ergo accuratiùs num ita ſe res habeat. Sed vix puto legi *Fabriciesis*. Nec enim a *Fabriciâ* venit, ſed a *Fabricâ* vel *Fabrice*, ut in hac Inſcriptione concipitur. Inde *Fabricesis*.

L. 3. V. V. *Valeria Victrix*. Dio L. lv. A. Urb. Cond. *Varr.* 758.

L. 7. *Collego*. Si quidem I deſit, videndum, Annon & hic quoq; G inciſum fuerit ab operario. Nec enim *omiſſæ Vocalis* exemplum occurrit in *Inſcriptionibus*, quod quidem ſciam. Fieri ergo poteſt ut CI. vicem præſtiterit litera illa quæ G putatur. Ut ſcilicet *Collecio* ſculptum fuerit. G enim in C permutatio in *Inſcriptionibus*, ut jam monui, frequentiſſima eſt.

L. 8. *Fabrice* pro *Fabricæ*. *Diphthongi* in *Vocalem* tranſeuntis exempla paſſim occurrunt in Ind. XIX.

L. 9. H, S E pro *hic ſitus eſt*. Vid. *Sertor. Urſat.* de Not. *Roman.*

Explicatio.

Explicatio.

Sect. I.

Legionum singularium Fabricenses sub *primis* duntaxat *Imperatoribus.*

JULIUS hic *Vitalis Fabricensis* erat *Legionis* XXæ. *Valeriæ Victricis*, quæ *stativa* habuit *Devanæ* ut docet *Ptolemæus*. Nempe *Cestriæ* hodiernæ. Simile exemplum habet *Reinesius*, Class. viii. Inscript. 65. in quâ *Legionis* similiter XXæ. sed cognomento alio *Geminæ Fabrum* legimus *Ferrarium*, generis tamen *Libertini*, non *Ingenui*, *C. Ancharium*, & *L. Ancharium Fabrum Lignarium Machinarum Bellicarum*; & *Q. Ancharium Fabrum & Præfectum Fabrorum Legionis* itidem XXæ. Hoc in eâ Inscriptione *singulare* est, quod *unius* tantummodo *Legionis Fabros Fabrorumq; Præfectum* in eâ legamus. *Quod* alibi, inquit Cl. Reinesius, *annotatum non memini.* Ita Lectionis, Memoriæq;, & Judicii summi Vir. Quo nomine nova hæc Inscriptio commendanda est, quòd aliud nobis sup-

 peditarit

peditarit tam raræ Obſervationis *exemplum* *.

SECT. II.

Alii Fabricenſes *hi a* Fabricenſibus Notitiarum, *&* Codicis *utriuſq;*, *tam* Theodoſiani *quàm* Juſtinianei.

ALII enim erant hi *Legionum Fabricenſes* a *Fabricenſibus* illis quorum memoria occurrit in Imperii utriuſq; *Notitiâ*, & in utroq; *Codice*, tam *Theodoſiano* quàm *Juſtinianeo*. Spectant enim hi *juniorum Fabricenſes* ad *Militiam Palatinam*, noſtri autem ad *Caſtrenſem*, quà invicem internoſcebantur hæ *Militiæ*, antea quàm *Imperium* ipſum in *quatuor* Provincias partiretur *Diocleſianus*, Cæſareas *duas*, *duas* autem Auguſteas. Ab eo uſq; *Diocleſiani* ævo

* Aliud præterea habet *Fabrett*. Inſcr. c. x. 314. p. 710. ubi *Præf. Fabrûm Leg. vi. Aug.* legimus. Et Inſcr. c. iii. 357, ubi *Præf. Fabrûm Leg. iii.* Parthic. habetur. Iterum n. 378, *Præf. Fabrûm Leg. iii. Italicæ* p. 181. Et n. 30. *Præf. Fabr. L. xx.* *Præf. Fabrûm Leg.* ii. *Aug. c. ix. p.* 608.

ævo *quatuor* erant in *Romano Imperio Principum Prætoria*, & *quatuor* adeo *Prætoriorum* illorum *Præfecti*. Inde *multiplicati exercitus*, & *armorum Fabricæ*. Lact. de mort. Persecutor. n. 7. Ut suos adeo *singuli* Principes habuerint *Fabricenses* sub *Magistris Palatinis*, quorum ne *nomen* quidem auditum dum constaret *primæva* Legionum *disciplina*. Nulli tum *Legionum* sub Principibus *Magistri*, sed *Tribuni* vel *Legati* Ordinis *Senatorii*. Qui quidem *Legati*, proximi ipsis *Imperatoribus*, medium alium nullum, cui obsequi tenerentur, habebant. Ignota tum & *Ducum* nomina, & *Comitum* a *Principum Comitatu* ita appellatorum, cum *Comitatûs* nomen nondum induissent perpetui Principum *satellites*; sed *Præterianorum*. Sed nec ulli sub primis Imperatoribus *Adjutores*, vel *subadjuvæ*. Et sane *antiquior* erat *Notitiis* & *Codicibus* hæc *Inscriptio*. *Britanniam Romanis* præsidiis exinanivit *Maximus Gratiani* interfector. Redierunt quidem semel iterumque *Britannis* imbellibus suppetias laturi *Romani*. Sic tamen ut Castra, qualia hic habemus, *stativa* & *fixa* nunquam deinceps habuerint in *Britanniâ*. *Novam* certè, quæ *tunc* recepta est, dispositionem, exinde suspicio est, quòd *Constitu-*

tionem

tionem Principis, quæ *Fabricensium Militarium Palatinorum* meminerit, nullam antiquiorem A. D. 374. retulerit *Codex* antiquior *Theodosianus*, quæ tamen ipsa *Constitutis* deest in *Justinianeo.* Ea a *Valente* edita est, de Urbibus *Orientis* primariis: *Antiochiâ*, quæ *Prætoria* fuerat *Maximini*, quem Cæsarem fecerat *Maximinianus Galerius*; & *Constantinopoli*, in quâ *Negiam* habebat ipse *Valens.* Erat autem *illa* quoq; *Constitutio Antiquior* discessu *Romanorum* e *Britanniâ.* Ne dubitemus quin *illo* quoq; tempore *Legionibus* singulis Jus *Fabricensium* ademerint *Augusti.*

Sect. III.

Leges *de* Fabricensibus (*etiam post* Constantinum M.) *non* soli Officiorum Magistro, *sed* Comiti *etiam* Sacrarum Largitionum, *&* Præfecto Prætorii *inscribi solita usq; ad A. D.* 474.

QUOD verò creditur, *Magistro Officiorum* obnoxios fuisse *Fabricenses*, etiam *Militares*, *serò* tandem *Lege* sancitum est, *Leone* juniore & *Anthemio* Imperantibus.

Imperantibus A. D. 474. Cod. *Justinian.* L. xi. Tit. ix. *Antea*, pro *arbitrio* suo Princeps aliis aliisq; *Leges* de *Fabricensibus* inscribebat. *Primam Codicis Theodosiani* Legem, *omissam* a *Triboniano*, *Tatiano Comiti Sacrarum Largitionum* inscripsit Imperator A. D. 374. Qui scilicet triplicis Metalli, *Æris*, *Argenti* & *Auri* olim *Tribunorum Monetalium*, Jus habebat. Spectabat *Lex* illa ad *Cassides Bucculasq;*, ex *Ære* fabricari solitas *Auro* autem & *Argento condecorari* a *Barbaricariis*. *Secunda* ejusdem *Codicis Theodosiani* Lex eidem *Tatiano* data est, non jam amplius *Sacrarum Largitionum Comiti*, sed *Præfecto Prætorii* A. D. 388. Ea *omnibus Fabricis* (sic enim *Fabricensium Collegia* appellari solebant) præcipiebat, & de *Ferro* etiam sancivit, cum tamen *Fabros Ferrarios* olim in *Legionum Fabricis* locum habuisse nostra doceat Inscriptio. *Tertia Rufino* dirigitur, tum *Officiorum Magistro*, A. D. 398. In eâ de *notis* agitur *Fabricensium brachiis* inscribendis, ad *imitationem tyronum Militarium*. Ut proinde *militare* censerentur illi quoq; *Fabricenses*. Plane, ut in *nostrâ* hac *Inscriptione*, in quâ ix^m. *stipendium* meruisse dicitur JULIUS VITALIS, ipse quoq; *Fabricensis*. *Quinta Anthemio* dicatur

catur, *Officiorum Magistro*, A. D. 404. Ubi *Ædificiorum fabricatores* præcipuè intelligi videntur, quorum *solorum* usus erat in *Prædiis*. *Sexta* deniq; Lex *Anthemio* editur, non *Officiorum Magistro*, sed *Præfecto Prætoriano*. Agitq; de *Fabricensibus*, quorum usus erat in *Bellis*, ut e *Theodosii* junioris *Novellâ* xii colligitur. Nec ad *Ædificia* tantummodo *Palatiorum* spectâsse illas *Fabricas*, sed ad *arma* etiam, *Machinasq*; (quales in *hac* Inscriptione reperimus) *Bellicas*, *scutorum*, *gladiorum*, *armorum*, *Balistarum*, &c. docent *singularum Fabricarum* tituli in *Legibus* & *Notitiis* memorati. Non tamen certè ad *Magistrum Officiorum* pertinere potuit hoc *Fabricensium* officium, dum *nullus* esset adhuc *Officiorum Palatinorum* omnium *Magister*, qui *quarto*, ut videtur, *Seculo* institutus est. Nam in *Historiæ Augustæ* Scriptoribus *Constantino Magno* antiquioribus *singulos* legimus *singulorum Officiorum Magistros* sive *Principes*; non *unum* aliquem *omnium Officiorum* communemq; *Magistrum*.

SECT.

Sect. IV.

A Temporibus Conſtantini, *&* *initio* Diocletiani, Britannia *ſub* Præfecto Gallicani Prætorii, *qui proinde* Fabricæ Militaris Britannicæ *poteſtatem habebat*.

VIDEMUS ergo, *his* quoq; temporibus, *Leges* de *Fabricenſibus* omnibus, tam *Civilibus* quàm *Militaribus*, *Præfectis Prætoriorum* fuiſſe inſcriptas, utpote *ſupremis* omnium, poſt ipſos *Principes*, coryphæis. Et quidem tunc ereptum *ſingulis* Legionibus ſingularium *Fabricenſium Jus* fuiſſe veriſimile eſt, cum in *unum* ſingulæ Legiones contribuerentur *exercitum*, uni communiq; *Prætorio* ſubjiciendæ in perpetuum, ut fieri ante ſolitum erat cum in *hoſtico* verſarentur, & in rerum *gerendarum* procinctu. Et *Conſtantino Magno* horum inſtitutionem tribuit *Zoſimus* L. II. Ut ſcilicet *quatuor Prætoriorum Præfecti Legionum* omnium, quacunq; verſarentur, Poteſtatem haberent. Et quidem *Præfecto Prætoriano Galliarum Britanniam* noſtram conceſſam fuiſſe manifeſtum eſt. Et *Legiones* proinde, quæ

Britanniarum præsidio fuissent constitutæ. Inde consentaneum erat ut *Fabricarum Militarium* curæ *singulis Legionum Præfectis* ereptæ *communi exercitûs* universi *Imperatori* attribuerentur. Quod etiam *factum* indicant *illorum temporum* Historiæ. Ait quidem *Victor* Epitomator, *Officia Publica & Palatina, nec non Militum, in eam formam statuisse Hadrianum, quæ paucis* (inquit) *per Constantinum immutatis, hodie perseverat.* Hoc si verum, a *Constantino* cæperit hæc dispositio, quâ in *unum* Exercitum coaluerint *Provinciales* Exercitus. Sed *novam Diocletiani dispositionem* agnoscit *Lactantius* de mort. Persecutorum. Et plane *talem* quæ *quatuor Prætoriis, Prætoriorumq; Præfectis,* occasionem dederit. Nam a *Castrensi* disciplinâ ortum *quatuor Præfecturarum Prætorianarum* traxerunt Officia. In *Castris medium* tenebat locum *Imperatoris Prætorium, summis* Exercituum Ducibus *proprium*, qui his *Monarchiæ Romanæ* quasi postliminium *restitutæ* temporibus, non alii erant quàm *Principes*, vel *Augusti*, vel *Cæsares.* Et *ditiones*, tam *Cæsareas*, quàm *Augusteas*, his ipsis *limitibus* coercuerat *Diocletianus*, quibus coercebantur Prætorianarum Præfecturarum limites a *Constantino Magno.*

Et

Et *Augustorum Cæsarumq*; numero *Diocletiani quaternario* respondebant juniorum *Prætoria*, *Prætoriorumq*; *Præfecti*. Sublatis autem *Augustis Cæsaribusq*;, supremi omnium, post illos, erant *Prætoriorum Præfecti*, qui *proximi* erant post *Principes*, tam *Augusteos*, quàm *Cæsareos*, etiam dum *Principes* earundem *ditionum* potirentur. Nec verò dubium est, quin *par* fuerit saltem *Principum*, intra eosdem *limites*, potestas, quæ fuerit postea *Prætoriorum Præfectis*; Nec adeo *Legionum* singularum *Fabricas* tum quoq; locum habuisse; sed penes *eum* fuisse, qui *Provincialis Exercitûs* potestatem habebat, non *Præfecto* tantummodo *Prætoriano*, verumetiam illius *Vicario* obnoxius. Et quidem talem *Vicarii Præfecti Prætoriani* agnoscit in *Britanniâ* Notitia *Occidentalis Imperii*, & *Ducem*, non jam ampliùs *Legatum*, *Legionis sextæ in lineâ Valli*; & *Comites* duos: alterum *Britanniarum*, alterum *litoris Saxonici per Britannias*. Ignota plane nomina, dum vigeret *primæva* Legionum Disciplina, seorsim spectatarum. Sed ut *legati Cæsarum* erant *Provinciarum Præsides*; ita *Præfectorum Prætorianorum Vicarii*, qui eorum *vices* gerebant, dum *ipsi* in *Principum Comitatu*, seu στρατοπέδῳ adessent *am-*

 bulatorio.

bulatorio. Ita *Vicariorum Comites* censebantur qui *Vicariis* aderant, quoties usus postulabat. Plane ut *Præsidum Consularium Prætoriorumve Legati* olim appellabantur qui Præsidum *vices* in *absentibus Legionibus* supplebant. Sic tamen ut *Ducibus* parerent, tanquam *Comitibus Vicarii* primariis, dum *unum* eundemq; *exercitum* complerent.

Sect. V.

Carausius & Allectus *in* Britanniâ Augusti Fabricæ Britannicæ *prospiciebant per* suorum Prætoriorum Præfectos, *non* Gallicanum. *Inscriptio hæc serior* Ptolemæo, *antiquior tamen* Dionis *consulatu, A. D.* 229.

SIC ergo nullæ erant *singulis* Legionibus *Fabricæ*, dum hunc in modum *Provinciæ* administrarentur, & *Præfecto Prætorii Gallicani* nostræ *Britanniæ* parerent. Nec ullius plane *Fabricæ* in *Britanniâ* nostrâ meminit *Notitia Imperii Occidentalis.* Et quæ in *aliis* Imperii Occidentalis *locis* memorantur, nusquam tamen *Legionibus* impu-

imputantur, ſed locis conſtituuntur idoneis, unde per *Provinciæ*, vel *Dioceſeos* exercitus diſtribui poſſent. Hac ergo *Diocletiani* novâ diſpoſitione *antiquior* fuerit hæc Inſcriptio. Erant, fateor, eo Imperante, duo, in hac noſtrâ Inſulâ, *Auguſteâ* dignitate, Tyranni: *Carauſius* & *Allectus*, per decennium. *Carauſius*, per aliquot annos, ſuffragante etiam *Diocletiano*. Tum nullus eſſe *potuit*, in *Britanniâ Præfecti Prætoriani*, ſeu *Gallici*, ſeu etiam *Italici*, *Vicarius*, cum adeſſet *ſummâ*, etiam *Auguſteâ*, dignitate præditus Imperator. Inde factum, ut *Prætorii* mentio occurrerit in eâ *Itinerarii Antoniniani* parte quæ ſpectat ad *Britanniam*. Quale tamen nullum occurrit in ejuſdem *Itinerarii Provinciis*, quæ nec *Cæſareæ* fuiſſent, nec *Auguſteæ*. Et tamen, *ante Carauſii* defectionem, *Maximiani Herculii Prætorio* obnoxia fuerat *Britannia*, quod ſatis erat ad adimendas *ſingularum* Legionum *Fabricas*. Et, dum *proprios* ſibi *Britannia* ſortiretur *Anguſtos*, minor erat ratio, cur ſuis *ſeorſim* Diſciplinis permitterentur *Legiones*, quàm cum *longius* invicem diſtarent. Non eſt ergo cur Comitum vel Legatorum *Legionariorum* Poteſtatem proinde *auctam* ſuſpicemur. Imo *eandem* in *duobus* ejuſdem

Prin-

Principis in *eodem Prætorio* agentis *Præfectis* Poteſtatem agnoſcit *Zoſimus*; quæ poſtea erat in *quatuor* diſpertita *Prætoriis*. Hoc tamen diſcrimine, quòd *unam* habuerint ditionem *duo*, cum *varias* invicemq; diverſas, *ditiones* habuerint poſtea *ſinguli quatuor* Prætoriorum *Præfecti*. Duos illos *Præfectos* intelligit: *Urbanum*, qui *Legioni* præfuit, cui *Urbis* cuſtodia mandabatur; & *Prætorianum*, qui *Legioni* præfuit *Prætoriæ*, quæ *Principis* ſalutem tuebatur. *Hos* ſolos *Præfectorum* nomine dignatur *Dio*. Et quidem *bis* inſcriptæ *Leges* a *Conſtantino* incipiunt, quòd ſedes *Dioceſeon* Prætorianas, ſub *Diocletiano* occuparint *Principes*, vel *Cæſares*, vel *Auguſti*. *Par* tamen illa in his *Præfectis Poteſtas*, vel *major* potiùs, in Provinciarum *Legiones*, quàm ea, quam poſtea conſecuti ſunt ſingulorum *Prætoriorum Præfecti*. *Legionum* ſingularum *Jura* in ſuas cujuſq; *Fabricas* abrogatura erat ab eo uſq; *tempore* quo *Præfecti armorum Fabricarumq*; communem curam adminiſtraverunt. Sed ſatis probant hæ ipſæ a nobis prolatæ *Inſcriptiones*, *Jus* illud in *Præfecturis* non fuiſſe *perpetuum*. Nec notam tamen aliquam *temporis*, quo *Præfectis* illud conceſſerint *Auguſti* Principes, dedit *Zoſimus*. Eruamus ergo. Docuit

cuit *Vopiscus* sub *Tacito* concessas *Præfecto Urbis*, etiam per *Provincias*, *Appellationes*. Auctumq; est hoc *Senatûs* (cujus *cogendi* Jus ab ipsis quoq; *Regum* temporibus habebat *Præfectus Urbis*) Jus a *Probo*. Proinde ne *tum* quidem propriarum *Fabricarum* Jus habebant *singulæ Legiones*, si ab hoc *utriusq; Præfecti* Jure *communi* desierit *Jus* idem in *Legionibus*. *Præfectum Prætorii ex Senatûs Auctoritate sibi* Alexander *constituit*; *Præfectum Urbis a Senatu accepit*. Ita *Lamprid*. Alexandr. c. 19. Idem *laticlavium Præfecto Prætoriano addidit*. c. 21. Inde *paria* utriusq; Præfecti & *communia Jura*. *Præfectus Prætorio* Imperatori δευτέρα μετὰ τὰ σκῆπτρα ἀρχή *Zosimo* L. II. *Secundus Imperii*, *Lamprid*. Diadum. c. 7. οὐ πολύ τι ἐξουσίας καὶ δυνάμεως βασιλικῆς ἀποδέουσα, *Macrino* apud Herodian. L. V. βασίλεια ὑπόρφυρος, *Eunap*. in Proæresio, ἡ κορυφαία τῶν ἀρχῶν, *Euagr*. 4. E. L. 3. Quòd scilicet *Præfectus Prætorio Provinciarum omnium* exercitus sibi obnoxios habebat. In eo tamen *Præfecto Urbis inferior* erat, quòd locum in *Senatu* nullum, pro *Officii* sui ratione, vendicare posset. Hunc tamen defectum supplevit *Alexander Severus*, Edicto prædicto de *laticlavio* illi *mittendo*. Vice autem versâ, *Præfectus Urbi*, dum

Legionem

Legionem duntaxat *Urbanam* in obſequio teneret, *Prætoriano Præfecto* hoc ipſo erat *inferior*, quòd *Appellationes*, in cauſis tantummodò *Urbanis*, judicaret. *Tacito* autem Imperante, *Appellationum* e *Provinciis* Jure auctus, tum demum *parem* cum *Præfecto Prætoriano* Poteſtatem conſecutus eſt. Imo cum *Prætoriano communem*, cum in Imperio *Univerſo* eandem Poteſtatem uterq; exerceret. Proinde tum quoq; *Fabricas* ſibi *proprias* non habebant *ſingulæ Legiones*. Cæterùm *Valeriæ* in hac *Legione* noſtrâ *Britannicâ* xxa. *cognomen* ab eâ *repudiatum*, cum ipſe ſcriberet, teſtatur *Dio*. Nempe ante *Conſulatum* ſuum, quem *communem* habuit cum iiio. *Alexandri Severi*, A. D. 229. Verba ejus in hanc ſententiam perſpicua ſunt.: Μήθ' ὑφ' ἁπάντων, μήτε ΝΥΝ ΕΤΙ τῇ προσρήσει ταύτῃ χρῶνται. Proinde *Alexandri* Imperio *antiquior* erat hæc *Inſcriptio*. Sed *Victricis* cognomine *ſolo* eandem *Legionem* inſignivit *Ptolomæus*, non item *Valeriæ*. Si quidem rectè, nondum *Ptolemæi* tempore *Valeriam* appellatam fuiſſe fortaſſe colligetur. Ita *Ptolemæo ſerior* hæc fuerit *Inſcriptio*. *Medio* ergo inter *illum Dionemq*; intervallo poſita fuerit, ſi quidem rectè noſtra hæc procedat Argumentatio.

SECT.

SECT. VI.

In ipsâ Urbe Bathonienſi *erat* Fabricenſium Legionis xx*æ*. Collegium.

DICITUR porro *Julius* ille *Vitalis*, *e* ſuorum *Fabricenſium*, ſeu (quod eodem redit) *e Fabricæ Collegio* elatus. Inde credibile eſt, *Collegium* ipſum *Fabricenſium* prædictorum in hac Urbe fuiſſe *Bathonienſi*, intra cujus fines *ſepultus* eſſe dicitur hic *Julius*. *Fabricæ* nomine omnium Collegarum Fabricenſium *Corpus* intelligimus; *Collegii* item, *Ædificium* & *Officinam* ab *Operariis* habitatam, collegis univerſis *communem*. Atqui *Devanæ*, ſive *Ceſtriæ* hodiernæ, fuiſſe *Legionem* xx*am*. *Victricem* teſtantur, non *Ptolemæus* modò, verumetiam *Antonino* attributum *Itinerarium*, & quæ hodieq; ibi effodiuntur *Inſcriptiones*. Et τῇ ἄνω Βρετλανίᾳ ſtatuit *Dio*. Magno ſane intervallo ab Urbe *Bathonienſi*. Nec tamen *Caſtra mutata* hujus fuiſſe *Legionis*, exinde Argumentum eſt, quòd in *eâdem* ſede eam reperiamus in *Itinerario Antonini*, quâ fuerat ſcribente

Ptolemæo. In eâdem certè *Provinciâ Legionis* xx^æ. *Collegium Fabricense* cum ipsâ *Legione* xx^a. fuisse verisimillimum est. Quod quidem satis commodè contingit pro distributione *Septimii Severi*, qui primus *Britanniam* in *duas Provincias* partitus est, *Inferiorem* alteram, alteram *Superiorem*, mox a *debellato*, ut videtur, *Albino*, A. D. 198. *Situm* harum *Provinciarum* aliquatenus e *Legionum* Præsidialium *situ* discimus. *Legionem Britannicam* vi^am ἐν Βρεττανίᾳ τῇ κάτω statuit *Dio.* Quam quidem *Legionem Vallo* proximam fuisse multæ ostendunt illis in locis repertæ *Inscriptiones.* *Eboraco* assignant *Ptolemæus* & *Itinerarium* quod sub nomine fertur *Antonini.* Hoc tamen discrimine, quòd *Legionis numerum* non servârit *Antoninus*, cum nihilominus *Victricis* cognomen, *Ptolemæo* suffragante, in *Legione*, quæ *stativa* habuerit *Eboraci*, idem agnoscat *Antoninus*, quam vi^am fuisse docuit *Ptolemæus.* Contrà, *Legiones* ii^am quæ etiam *Augusta* appellata fuerit, & *Legionem* xx^am. (de quâ agimus) *Valeriam Victricem* τῇ ἄνω Βρεττανίᾳ imputet *Dio. Legionem* autem ii^am quæ & *Augusta* fuerit, *Iscæ* constituit *Itinerarium.* Quam quidem *Iscam*, *Caerlheonem* fuisse in agro *Monumethensi* ex *Inscriptionibus* ibi repertis

docuit

docuit Patronus meus Cl. *Camdenus*. Et xx^am *Cestriæ* constitutam fuisse omnium consensu jam ostendimus. E quibus constat *partem* Insulæ nostræ *Meridionalem Superiorem* censeri; *Inferiorem* autem *Septentrionalem*, quæ & *Vallo* proxima erat, & *Prætorio*, quod 2^a. ab *Eboraco* mansione statuebat *Antoninus*. Sic etiam *Germaniam Inferiorem* appellabant *Romani* Mari & *Septentrioni* propiorem. *Prætorium* verò, (cujus meminit *Antoninus*) *Carausii* erat, ni fallor, & *Allecti*, *litori Saxonico* objectum, unde tam *Britanniarum Comiti*, quàm *oræ Insulæ Maritimæ* commodè prospici posset. Nec enim alibi *Prætoria* agnoscunt *Notitiæ* præterquam in *Provinciis*, quæ *olim* fuerant vel *Cæsareæ* vel *Augusteæ*. Nec plures *unâ*, in *hac* parte, *Provincias* fuisse *olim*, verisimile est, ut *unicus* erat duntaxat in *Insulæ continente*, *Comes*. *Provincias in frusta concisas Diocletiano* exprobrat *Lactantius*. Nempe post devictum *Allectum*. Nam a *Flavio Constantio* nomen traxisse videtur *Flavia Cæsareensis*, uti etiam *Maxima Cæsareensis* ab eodem etiamnum *Cæsare*. Sic fiet ut in eâdem *Britanniæ Provinciâ* locum habuerint *Legio* ipsa xx^a. *Victrix*, & *Legionis* ejusdem *Fabricæ*, quantumvis invicem distent *Cestria*

& *Bathonia.* Conſtabant illæ *Legionum Fabricæ* e *Fabris*, ut vidimus, *Ferrariis*, & *Fabris Machinarum Bellicarum*, quos *Lignarios* & *Tignarios* appellant *Inſcriptiones.* Fieri ergo poteſt, ut, propter *Metalli*, vel *Sylvarum*, commoditatem, *Fabricam ſuam Bathoniæ* conſtituerit *Legio* quæ *Ceſtriæ* ipſa *ſtativa* habuerit.

SECT. VII.

Legio IIa. Aug. *nondum in agro* Monumethenſi, *A. D.* 211. *cum excederet* Sept. Severus. *Eoq*; *proinde* anno antiquior *erat* hæc, *fortaſſis*, *Inſcriptio.*

PROPIOR autem erat *Bathonia Legionis* IIæ. *Stativis* modò deſignatis. Et proinde *Legionis* IIæ. *Fabricæ* recipiendæ magis *idonea.* Erat profectò, ſiqua fuiſſet, illis quoq; temporibus, in agro *Monumethenſi Legio alia* præter xxam. Id tamen itane ſe habuerit, me valde dubitare fateor. *Aliarum* certè, præter VIam. & xxam. *Legionum* in *Britanniâ Stativa* ignoravit *Ptolemæus*, qui Provinciarum *bipertitam* a *Septimio Severo* factam diviſionem

nem ſimiliter ignoravit. Nec *alium* habemus *Dione* antiquiorem Auctorem, qui *Legionis* II^{ae}. *Auguſtæ* in ipſâ quoq; *Britanniâ* ſedem agnoverit, qui nec ipſe tamen eam in *Superiori* ſtatuit *Britanniâ*, nempe *meridionali*. Fuiſſe autem hanc eandem *Legionem* & in *Septentrionali* aliquando Britannia docent ibi repertæ *Inſcriptiones*, quarum una ſub *Hadriano* exſculpta eſt. Imo, *Antonino Pio* Imperante, alia in iiſdem partibus *Septentrionalibus* reperta eandem *Legionem* memorat *Inſcriptio*. Erat quidem, eodem *Antonino* Imperante, in *Britanniâ Septentrionali Legio* noſtra xx^{a}. V. V. & Valli ulterioris partem condidit, ut ex aliâ diſcimus *Inſcriptione*. Sed *Stativa* ejuſdem *fixa*, cum res cum hoſte non gereretur, docet, ſub eodem Principe, Auctor certiſſimus *Ptolemæus*. Et quidem inter *Antiquiſſimas* fuiſſe, earum quæ *Britanniam* tenebant, docet *Tacitus* Hiſt. III. 44. Meruerat enim ſub *Veſpaſiano*, Imperante tamen *Claudio*, ſub quo *Britannia* in *Romanorum* fidem venit. Et *Stativa* hæc *Septentrionalia* illius *Legionis antiquiſſima* fuiſſe, ea, quam ſub *Hadriano* fuiſſe diximus, oſtendit *Inſcriptio*. *Recentiora* enim ſunt quæ in agro *Monumethenſi* eam ſtatuunt

unt Teſtimonia: *Dionis* primum, deinde *Itinerarii*, & ipſo *Dione* antiquior *Inſcriptio* in hoc eodem agro *Monumethenſi* eruta, in quâ *Augg.* legimus, *duos* utiq;, *Antoninum*, ut videtur, cum fratre *Getâ.* Eodem proinde *anno* quo *Septimius Severus* eorum pater *Eboraci* deceſſit, *Chriſti* nimirum 211. Sic anno *hoc* antiquior hæc erit Inſcriptio, ſi quidem propterea *Bathoniæ Fabricam* ſuam conſtituerit *Legio* xx^a. quòd *Legio* alia *nulla* propinquiora habuerit *Bathoniæ* ſtativa. Nec forſitan abſurdè *Severo* ipſi hanc ſtativorum *mutationem* aſſignabimus, qui primus erat Auctor *diviſæ* in plures *Provincias Britanniæ.* Nempe *debellato*, uti diximus, *Albino*, A. D. 198. *Diu* certè illas *Legionum Fabricas* non perſtitiſſe, exinde ſuſpicio eſt, quòd earum tam *pauca* monumenta habeamus.

SECT.

SECT. VIII.

Fieri poteſt, ut Fabricas duplices, *tam* Armorum, *quàm* Machinarum Bellicarum, *complexum fuerit* unicum *hujus Inſcriptionis* Fabricæ Collegium.

UNICÆ præterea *Fabricæ*, & *unici Fabricæ Collegii* mentio in hac habetur Inſcriptione, e quo *Julius* noſter *Vitalis elatus* fuerit. Nec tamen inde facile eſt colligere, an *univerſam Legionis Fabricam* complecteretur *unicum* illud *Fabricæ Collegium*. In Inſcriptione *Reineſianâ* duplices vidimus Fabros; *Ferrarios* alios, alios *Machinarum Bellicarum* quæ e *lignis* conficiebantur. Alibi tamen *ſeorſim* legimus Fabros *Ferrarios*, *Lignarios*, *Tignarios*, *Tignuarios*, *Baliſtarios*, eorumq; *diverſa* invicem *Collegia*: *Collegium Fabrorum apud* eundem *Reineſium* Claſſ. I. 273. *Collegium Fabrorum Dendrophororum*, Claſſ. II. 17. *Collegium Fabrûm Tignariorum Romanenſium*, Cl. x. 13: Et *Baliſtariorum* paſſim in Textu *Juris Civilis*. Eſt tamen viciſſim ubi invicem *conjunguntur*, acſi in

unicum

unicum idemq; *Collegium* coalescerent. Ita *Collegium Balistariorum* exhibet *Reinesius* Cl. x. 6. Fieri ergo potest ut *duplex* illud Inscriptionis *Reinesianæ Collegium* in *unico* nostri *Collegio* locum habuerit, e quo *Julius Vitalis* est elatus. Si quidem ita, ex *utrâq; Fabricâ*, tam *Armorum*, quàm *Machinarum Bellicarum* constare potuit illa *Fabrice*, è cujus *Collegio* noster *Julius* elatus est. Sin minus, satis fuisset *alterutrius materiæ* commoditas, seu *Metallicæ*, seu solius *Lignariæ*, ad *Collegium* unius simplicisq; *Fabricæ*, *Bathoniæ*, potiùs quàm alibi, constituendum. Et quidem hic *Fabrice* simpliciter memoratur, non *unius* certiq; generis *Fabrorum*. Et in *Inscriptione Reinesianâ* Cl. VIII. 65. postquam *singularum Fabricarum* mentio præcessisset; *Fabrûm* tamen *Legionis* xxæ. *Geminæ Præfectus* dicitur *Q. Ancharius Nicostratus*, acsi *Fabris* prædictis *omnibus* præfuisset, non uni tantummodo *Fabrorum Speciei.*

CHAP.

Sect. IX.

Nationis *nomine* Patria *designatur* Julii Vitalis, *quæ in* Belgarum *territorio fuerit*, *non* Gallicorum, *sed* Britannicorum.

DICITUR etiam *Julius* noster *Natione Belga.* Formâ in *Inscriptionibus* satis receptâ, quâ non tam *stirpem*, quàm *locum* potiùs *Natalem*, fortaſſe designârit. *Nomen* enim *Romanum*, & *stipendia* in *Militiâ Legionariâ*, non inter *Auxilia* (quæ *alias* quoq; *gentes*, pro *Romanæ Militiæ* disciplinâ, complectebantur) *ortum* e *civibus Romanis*, si minùs *Originalibus*, saltem *adscititiis*, indicare videntur. *Belgarum* ergo, non *Gallicorum*, sed *Britannicorum*, *regionem natalem* habuerit, nec adeo *longe* ab ipsâ *Bathoniâ* in lucem editus. *Nationis* autem, pariter ac *Gentis*, vox *Tertulliani* ævo recepta est, *arctiori* tamen quàm *Gentis* significatione. Complectebatur enim *Gens* una *Gallorum*, *Germanorum*, &c. et proinde *Britannorum*, multas sub se *Nationes*. Ut proinde, dum *Belgam* se profitetur, *Natione*, *Julius Vitalis*,

lis, ab *aliis* ſe *Britanniæ*, quæ plures erant, *Nationibus* ſecernat, & *certam* quandam *Britanniæ regionem*, in quâ agebant *Belgæ*, *Patriam* vendicet. Sic Tacitus *Nationis nomen, non Gentis, evaluiſſe ſcribit.* de morib. Germ. c. 2. Intelligit de illis Populis *Tranſrhenanis*, a quibus pulſi ſunt ex avitis ſedibus *Eburones Galli.* Hos nempe dicit, *non* a *ſuis*, ſed a *Gallis*, quos expulerint, vocatos eſſe *Germanos.* Inde autem factum eſſe paulatim, ut, non illi *ſoli*, ſed Populi *Tranſrhenani omnes Germani* a *Gallis* appellarentur, a quibus *Gallis* nomen *Germanorum* didicerint *Romani.* Colonia ergo *Germanorum* in agro *Tungrenſi* primò *Germana* appellata *Natio* erat, unde nomen *Germanorum* ad *Gentem Tranſrhenanam univerſam* emanavit, ut recte locum *Taciti* difficillimum explicavit ſummus Geographiæ *Germanicæ Veteris* feliciſſimuſq; reſtaurator *Philippus Cluverius*, Germ. Antiq. L. II. c. 20. Eadem eſt & *Civitatis* ſignificatio, apud *has* præſertim gentes, quæ *ſingulæ* multis iſtiuſmodi *Nationibus*, *Populis*, & *Civitatibus*, conſtabant, non *mænium* ambitu, ſed *agrorum territoriis* invicem ſecretis. Sic enim ſe fere res habebat apud *Gallos*, *Germanos*, noſtroſ-

que

que etiam *Britannos*, ut *Corpori* potiùs hominum intra ſuos cujuſq; *limites* agenti, *Nationis Populique*, tam *Nomina*, quàm *Jura* competerent quàm *habitaculorum* contiguorum invicem, junctorumq;, infra communia omnibus *ſepta*, ſeu *propugnacula*. *Urbes* enim vel *nullas* plane, vel *raras* admodum, habebant *Gentes* hæ antea quàm *Romanis* innoteſcerent. *Fixas* nimirum, vel *Jure* aliquo munitas, ne pro arbitrio *Cives* invicem *diſcederent*, dum *fines Nationi* communes minimè egrederentur. Nec enim *Chartis* Jura, aut *Principum diplomatibus*, debebant, quæ incolarum infra certa *mænia* vel *propugnacula* propria eſſent, nec ab *aliis* Nationis *ejuſdem Civibus* vendicari poſſent: ſed *ſtirpi* potiùs omnium communi, quamcunq; *Regionis Nationi aſſignatæ* partem incolerent. *Eundem* morem etiam apud *Athenienſes* nondum *excultos* receptum fuiſſe teſtantur Hiſtorici, ut per δήμους *ſeorſim* olim habitârint, *antea* quàm illos in unam *Urbem Athenienſem* colligeret *Theſeus*. Inde factum poſtea ut *omnes Urbium* περίοικοι & *Suburbani* communibus cum *Urbe* primariâ *Juribus* fruerentur. *Iidem* ſcilicet cum in *Urbes* congregarentur, ac fuiſſent cum per *Pagos*

& *villas* pro arbitrio ſolvendas habitarent; nec adeo *Juribus avitis*, propterea quòd poſtea *arctiùs* coaluerint, ſpoliandi. Tantundem ergo valebat in hac noſtrâ Inſulâ (cum hoc monumentum conderetur) *Natio* natalis ac *Urbs* Natalis poſtea in moribus earundem *gentium excultioribus*. Invaluit autem hæc eadem loquendi forma aliquantiſper ſub *cultu* quem a *Romanis* acceperunt, dum *recens* eſſet priſtinæ *barbariei* & *diſſolutæ* Diſciplinæ memoria. Succeſſit poſtea in *bujus formæ* locum *domûs* Natalis deſignatique etiam cum *Urbem* Natalitiam deſignare vellent. Cum ſcilicet *locum* potiùs quam *ſtirpem* unde ortum duxiſſent, Poſterorum memoriæ commendare vellent. Irrepente ſcilicet *Urbium celebritate*.

SECT. X.

Ad honorem Julii Vitalis *faciunt, quæ de eo in hoc monumento dicuntur.*

AD *honorem* autem *Julii Uitalis* illa ſpectant omnia. Imprimis, quòd *Miles* eſſet, cum multa eſſent *Militum Jura* in *Jure Civili* paſſim occurrentia; nec alii in *Milites* legerentur quàm qui *honeſtis* fuiſſent *Natalibus*, nullâ graviori, quæ *obſtaret*, ingruente *neceſſitate*. Tum, quòd in *Militiâ Legionariâ*, non *Auxiliariâ*, *ſtipendia* meruiſſet; & quòd *Juvenili Ætate* meruiſſet *ſtipendia*. Quòd etiam non Officio *Heredum*, ſed *Collegarum* benevolentiâ monumentum conſecutus eſſet. Hoc enim *honoris* cauſâ factum, quoties a *Corporum* gratitudine proficiſceretur, multa paſſim produnt *monumenta*. Quòd etiam e *Collegio elatus* fuiſſe dicitur, hoc etiam ejuſdem *honori* datum eſt. Innuit enim amplâ *Collegarum frequentiâ* elatum eſſe. Quod ſane ad *funeris honorem* magis faciebat quàm *ſtirpis* decora quantumvis *magnifica*. Inde in

in *Appendice* noſtrâ *Prælectionum Camdenianarum* edita a nobis *Acta Urbana* hoc in *Marciæ* funere perſtringunt, quòd *Majore pompâ Imaginum, quàm frequentiâ hominum* fuerit celebratum. Aliumq; *Magnâ frequentiâ elatum* legimus apud Reineſium, Cl. XVII. 30. Innuere præterea poterat, in *Sepulcro Collegarum* fuiſſe conditum qui *e Collegio*, & *Collegis comitantibus*, fuiſſet *elatus*. Vid. *Reineſ.* Claſſ. x. 4. Et *Militum* quoq; *Sepulcra* communia fuiſſe docet *Inſcriptio Reineſiana* Cl. VIII. 53. Ut proinde *utroq;* hoc, tam *Collegii*, quàm *Militiæ Jure* hæc *Collegarum* Officia demereri potuerit noſter *Julius Vitalis*. Denique, & illud quoq; indicari poteſt, ex *arcâ Collegii*, & communibus *Collegii* univerſi *ſumtibus*, funus eſſe procuratum: Et *Collegio* adeo univerſo *chariſſimum* fuiſſe, quod certè *meriti* teſtimonium locupletiſſimum fuiſſet.

V. D.
HENRICI DODWELLI
AD
Clariss. GOETZIUM,
De *Puteolana* & *Bajana* Inscriptionibus,
EPISTOLA.

ACCEPI, Cl. *Goetzi*, utrasque tuas literas, tam illas quas ad *meipsum* dederas, quàm & alias illas quas ad Amicum meum excultissimum dederas Dominum *Cherrium*, mecum communicandas. Complectebantur *Cherrianæ* Inscriptionem *Puteolis* repertam, de quâ me consulendum existimasti. Ea ita se habet.

IVSSV

IVSSV
IOVIS OPTIMI MAXIMI
DAMASCENI
SACERDOTES
M. MEMONIO. M. F. PAL.
EYTYCHIANO
SACERDOTI HONORATO
EQVO PVBLICO AB
IMP. ANTONINO AVG.
PIO P.P.
ADLECTO IN ORDINEM
DECVRION. PVTEOLANORVM
AEDILI
M. MEMONIVS CALLISTVS P.
SACERDOS REMISSA
COLLATIONE.

Ita a Domino *Goetzio*, in latere Aræ, *Puteolis* repert.

Sic

Sic ergo paucis accipe. *Jupiter* ille *Damascenus* Patronus erat *coloniæ Romanæ* in *Damascum* deductæ. *Jovis* enim nomen *Orientalibus*, imo *Græcis*, prorsus incognitum, proinde *incolis Damasci*, tam indigenis *Syris*, quàm *Syrorum* Dominis *Madonibus* alienum erat. *Romanorum commune* nomen *Jupiter* erat *Capitolinus*; cum *Latinis* autem majoribus *commune*, *Jupiter Latiaris*. Similis huic nostro *Jupiter* alius est *Dolichenus*, non autem (ut volebat *Stephanus*) Δολιχαῖος. Perpetuò enim *Dolichenum* appellant Veterum *Græca*, pariter ac *Latina*, monumenta. Erat hic *Assyriæ Commagenæ*, vel *Romanæ* potius, in *Commagenâ*, coloniæ. *Damascum* certè vestram *coloniam* agnoscunt numi *Philippi Augusti*, & *Otaciliæ Augustæ Philippi* uxoris, & *Volusiani*, & *Æmiliani*. Et *cohortem* legimus *Damascenam* apud *Gruterum*, p. 396. 8. Sed profectò *colonia* illa *Damascena* multò fuerit, oportet, *antiquior Philippo*: Nam, cum *Caracalla* cives *Orbis Romani* universos in *Civitatem Romanam* admisisset, plane non intelligo quis deinceps *usus* esse potuerit novarum *coloniarum*. Inscriptio tua *Antonini Pij* meminit. Non tamen ita facile erit colligere *quis* ille fuerit *Antoninus*,

F cum,

cum, præter *Titum*, & (ni fallor) *Marcum*, etiam *Caracalla*, atq; *Elagabalus*, hoc eodem *Pii* titulo in *coævis* monumentis appellentur, atq; Eruditis imponant. Ego profectò tuam *Damascenorum* civium Inscriptionem ad *Caracallam* potiùs retulerim, qui his locis Bellum moliebatur *Parthicum*; vel ad *Elagabalum* qui fuit ortu ipse *Syrus*. ADLECT. IN ORDINEM DECVRION. passim occurrit de *alienigenâ*, de eo scilicet qui *præter ordinem* receptum in *Curiam* admissus esset, non *præviis* Decurionatui *honoribus* gestis, sed aliunde, & per saltum. ET *adlectum Ædilem* legimus in Inscriptione *Gruterianâ*, p. 318. 7. Et quidem *ex Decreto Decurionum*. Erat enim inter *munia Decurionatûs Ædilitas*, ut fuit in *Curiâ* Senatûs *Romani Ædilitas Curulis*. Sed excusabat ab *Ædilitate Sacerdotium*. Proinde admodum laude dignus habetur in Inscriptione *Gruterianâ* p. 484. 6. qui, cum *Sacerdos* esset, *Ædilitatem* gesserit. Hæc causa esse potuit, cur tuus ille *Sacerdos* non aliter in ordinem *Decurionum Puteolanorum* adlegeretur, quàm adlectione in *Ædilem*, ne *Ædilitatem* recusaret, si *antea* adlectus fuisset in Ordinem *Decurionum*. Cum autem *Ordinem Decurionatûs* ipsa conferret *Ædili-*

tas,

tas, non licuit *Decurionatûs* Ordinem ambienti *Ædilitatem* refutare. *Jussu* autem *Jovis* ipsius dicuntur hoc monumentum decrevisse *Sacerdotes*. Inde quoq; factum ne *Sacerdoti* licuerit honorem in se collatum *refutare*. Formæ illæ: Ex Jvssv, & Visv, occurrunt in istiusmodi monumentis satis frequentes. Maximè, ubi *Religionis* causa agebatur. In eâ nihil faciendum erat *injussu Numinis*, ut ex *Apuleio* constat, cum esset ipse in *Sacerdotia* cooptandus. Proinde non est (ut id obiter observem) cur miremur S. *Cyprianum* sua omnia *Acta Ecclesiastica* ad *Christum* retulisse, ut ostendimus in Dissertationibus *Cyprianicis*. Imo pro *absurdo* habet, siquis aliter sensisset. Sic enim fore arbitrabatur, ut *Christianorum Deus* minus *præsens* apud *suos* haberetur, quàm *Gentilium numina* apud *suos* ibidem *cultores*. *Posuit* tamen hoc monumentum *M. Memonius Callistus*, (de *familiâ*, ut videtur, superioris *Memonii*) *Sacerdos* etiam ipse, sed *remissâ collatione*. *Suis* nimirum, ut videtur, *impensis*. Non autem ex *arcâ Synhodi sacerdotalis*, ad quam ipse quidem *virilem* suam collaturus fuerit, reliqua e *collegarum collationibus* accepturus. Erat enim apud *Veteres* receptum, ut, siqui bene de *Re-*

publicâ

publicâ mereri vellent, *sumtus* a se in *Opera Publica* expensos non repeterent ab *Ærario*. Ita *Pericles*. Ita *Demosthenes*. Ita alii quamplurimi, quorum mentio occurrit in *Inscriptionibus*. Tantundem ergo hoc in loco valet *remissa collatio*, ac *remissa quadragesima*, *remissa vehiculatio*, & siqua alia istiusmodi occurrunt in *Numis* aliisq; istiusmodi Veterum monumentis. *Decreta* ergo hæc *Inscriptio* est a *Sacerdotibus Jovis Optimi Maximi Damasceni*, *Damasci*, ut videtur, agentibus. Nempe a *communi* illorum *Synbodo*: *Curata* verò ab alio *Memonio* prioris *cognato*, qui fuerit etiam ipse e *Collegio Sacerdotali Damasceno*. *Suis* autem *expensis*, non *Collegii*. *Puteolis* verò, propter *Decurionatum* sacerdotis, in cujus honorem dedicabatur, *Puteolanum*. Priorem autem præcipuumq; *Memonium ingenuum* fuisse discimus e *Tribu* ejus *Palatinâ*. Exinde etiam fortasse, quòd *Ordine Equestri* illum insignierit, quicunq; demum is fuerit, *Antoninus Pius*. De *posteriori* autem *Memonio*, an pares habuerit Natales, est sane cur dubitemus. *Tribum* illius *nullam* legimus. Et ne quidem *Patroni Parentisve* nomen, cujus fuerit, seu *Libertus*, seu *Filius*. *Callisti* ergo nomen *servo* fuisse

potuit,

potuit, qui cum, manumiſſus, in *heri gentem* fuiſſet admiſſus, inde *M. Memonius Calliſtus* fuerit appellatus. Suntq; profectò *Libertorum* in *Patronorum* memoriam Inſcriptiones frequentiſſimæ. Et *Gratitudinis* in *Libertos*, per *Leges Romanorum*, concedebantur *Patronis Actiones*. *Grati* autem animi ſpecimen erat, ſi id *ſuis* præſtarent *impenſis*, quod licuit ex *arcâ ſacerdotali*.

Inſcriptio

Inſcriptio *Bajana.*

M. ANTONIVS RUFINVS
MILES EX V VICTORIA SIBI
ET. L. IVLIO APOLLINARI FRATRI
MILITI EX· III. DIANA. VIXIT
ANNIS· XXXVIII. MIL. ANN. XIIX
ET LIBERTIS. LIBERTABVS. POSTE
RISQVE EORVM.

Ita a Domino *Goetzio*: Baijs reperta. Utraq; ab Amico Neapolitano. E literis Cl. *Goetzij* ad Dom. *Cherrium*, IV. Kal. April. Styl. nov.

SECUNDA tua Inſcriptio hæc eſt. In quâ difficile eſt, quo tandem ſpectent *numeri* in eâ recenſiti, V̄ & ĪĪĪ. An ſcilicet de *Legione* potiùs, an de *Alâ*, an de *Cohorte*, fuerint intelligendi? Id quoq; *rarum*, in cujuſvis harum Appellationibus occurrere Epitheta *abſtracta*. *Victrices* paſſim quidem legimus, non item *Victorias*, ſeu *Alas*, ſeu *Cohortes*, ſeu etiàm *Legiones*. Et a *Dijs* denominatas legimus, *Apollinares*, *Joviales*, *Martiales*, *Venerias*, &c. Ægrè, ut exiſtimo, *Apollines*, aut *Joves*, aut *Martes*, aut *Veneres*. Unde ergo, hoc in loco, *Diana*? Forte, quòd majorem *Emphaſin* habere crederetur vox *abſtracta*, quàm *concreta*. Sic *L. Antonius* Conſul, *Marci* Triumviri frater, dum *Pietatem* in *fratrem* Bello *Peruſino* concitando venditaret, teſtatamque facere vellet; non *Pium* ſe, ſed *Pietatem*, cognominari volebat. Exempli autem tam *rari non* ſunt, quos hic vides, *Accentus*. Multa dedit horum exempla Cl. *Fabrettus*.

Neminem ſcio qui de *Damaſcio* περὶ Ἀρχῶν edendo cogitat. Luſtravi ipſe magnam partem *Apographi* quod habemus in *Bodleianâ*. *Autographum* eſt, ni fallor, in Bibliothecâ Collegij *Corporis Chriſti Oxonienſis*.

Oxonienſis. Implet Apographum craſſum volumen in *Folio*. Quid faciet cum verſione *Latina?* Utinam ſuſciperet *Galeus*. Vir ſane *Lectionis* multæ, *Judicii* ſubactiſſimi, *acuminis* perſpicaciſſimi, & qui paucos habeat in *Græcæ Linguæ* peritiâ pares. Sed multùm dubito, reperturuſne eſſet, in hac tantâ *chartæ* caritate, qui ſumtus ſuppeditaret, Bibliopolam. Prodeſſet quidem Auctor ille *Philoſophiæ Platonicæ* ſtudioſis, præſertim *recentioris*; *Hæreſiumq*; *Chriſtianarum* inde oriundarum. Sed qui *literas illas* calleant, aut curent, *pauciores* eſſe vereor, quàm ut ſufficiant *Operis* πολυςίχυ Editioni diſtrahendæ. Catalogum theſaurorum tuorum avidè expectamus, magis tàmen ut cum *Orbe Literario* univerſo communicentur. *Gruteri* novam Editionem emendatiorem auctioremq; meditatur Maximus *Graevius*. Fac, quæſo, ut cum illo communicentur novæ quæcunq;, quas habes, vel ab Amicis Italis deinceps accepturus es, *Inſcriptiones*. Idem complexurus eſt Inſcriptionum etiam *Interpretes*. Utinam *Inſcriptionem* videre liceret, quæ *Alcmanis* Poetæ eſſe dicitur. Maximè verò ad rem meam faceret *Inſcriptio* illa, de quâ me monuiſti, quæ *Duces Græcos* complectebatur

tur in diversis Bellis *occisos*, si notas complecteretur *Chronologicas*. Excidit *possessor*, & fortassis *enarrator*. Refrica memoriam meam; &, num adhuc publicam *lucem viderit* edoceas. Quid velles de loco *Chronici Eusebiani* non satis capiebam. Dedi tamen lectionem Codicis *Mertonensis* optimi *antiquissimiq;* cum *Editionibus* plerisq; accuratè consentientem. Studia tua felicitet Deus, faxitq; ut *Paci Catholicæ Pietatiq;* inserviant. Me certè pergas, ut solebas, amare

Tuî, ut mereris, studiosissimum

Henricum Dodwellum.

Shottesbrochiæ, in agro *Bercheriensi* VII. Id. *Sept.* Styl. vet MDCC.

VIRO

Spectabili Reverendoque

Johanni Nicholas,

S. T. P.

Collegii S. Mariae Wintoniensis *Custodi vigilantissimo,*

Guil. Musgrave, *S.P.D.*

EA, Reverende Vir! Romanis *animi* Magnitudo, & *tanquam ipsum* Humanae Naturae *Culmen & Fastigium attingentibus, in omni* Virtute *fuit excellentia; ut serae Posteritatis habeant*

 admi-

admirationem; & eorum, quae ſuperſunt hodie Reliquiae, Magnates *&* Eruditi *captent undique, oſculentur, & quaſi ſacras pene venerentur.*

Harum pars magna [Inſcriptiones] *loco non ſunt infimo habendae: quippe* Romanorum *Mores, Imperium, Victorias, Scripta, ceteraque glorioſiſſimi illius Populi quamplurima; quae exponant, atque adeo magnopere quae illuſtrent. Unde* Panvinij, Gruteri, Smetij, Velſeri, Reyneſii, Patini, Sponii, *& e noſtris hominibus* Camdeni, Seldeni, Plotti, Guidoti, Fleetwoodi, Galei, Liſteri, *aliorumque, qui in iis aut edendis, aut explicandis, operam navarunt, Orbi literato ſunt quam acceptiſſimi Labores.*

His Ego praeclaris Nominibus, in re non minus jucunda, quam laudabili ſtimulatus, quum in Julii Vitalis Inſcriptionem (*Nationis, quantum video,* Britanno-Belgicae, *quae reſtat, unicam) jam tum effoſſam, & MS. forte fortuna inciderem, otioſus & plane ludens calamo, quid in ea poſſem exponenda, Commentario tentare coepi.*

Penſi

Penſi vero, quod in animo habui, vix dimidium abſolveram, cum excuſa prodiit ejuſdem Inſcriptionis *una atque altera Impreſſio: una, cum Obſervationibus, a viro Literato,* Tho. Hearne, *A. M. ad finem magni* Alfredi *Vitae publicata: altera, cum Venerabilis & Doctiſſimi* Tho. Gale, *ad* Antonini Iter Britanniarum, *Commentariis, ab ejus Filio in lucem miſſa.*

In perlegendis Obſervationibus Hearnianis, *equidem multum delectabar: Doctae enim ſunt, lectuque perjucundae. Sed cum Autoris Scopum a noſtro, & utramque Editionem ab eo, quod nactus eſſem MS. non parum differre deprehenderim; id mihi curae fuit, ut in Diſcrepantias inquirerem, &, de iis certior factus, in Opere ſuſcepto, ſed ad tempus interciſo, qua liceret alias ſaepe occupato mihi, progrederer.*

Interea calcar addidit, quod a Doctiſſimo Clariſſimoque Dodwello *Literis ſub hoc tempus accepi; nempe Eum perhumaniter, rogatu noſtro, quam ſub manibus habuit, de hac* Inſcriptione, *Diſſertationem, una cum noſtra Typis imprimi, & in publicum edi, non dedignaturum.*

Habes

Habes, (Vir Reverende !) *cum earum Origine*, *utramq; Dissertationem; sed alteram, Eruditione & Doctrina plenam, Autorisq; Celeberrimi Nomine praecellentem; alteram, Illius Societate fortunatam.*

Si Belgas, *Orae aliquando vestrae maritimae partem incolere, (quae, a Clariss.* Camdeno, Ptolemaei Ρηγνοις *attributa fuit) asserere non dubitaverim: Si* Cangos, *e vicinia* Belgarum, *ad* Cornavios, *extrudere: Si* Fabricam *in* Britanniis *sacram confirmare: Si τῶ* [LEG. XX.V.V.] *Lectionem maxime probabilem vendicare fuerim conatus; aliaque hujuscemodi nonnulla, contra, quam a viris aliquibus doctis statuta sunt, in hac* Dissertatione *lucubraverim; quando isthaec ita esse, amica Veritas omnino suadeat, vitio mihi, uti spero, non vertetur.*

Aspicite, Belgarum *Manes! Gaudete, Vos eorum Posteri; propter recuperatos Agros, propter redditum* Vitalem.

Ventam *ille*, Belgarum *Metropolin, nunc denuo; non, ut olim, Cespititiam, aut Luteam; sed* Domo Regia, *sed* Aede

Aede Cathedrali; *nulla vero alia re magis quam* Wiccami Collegio, *Te* (Vir Digniſſime!) *illius* Cuſtode, *florentiſſimo, beatam adit; & quidem, excuſſo* Pul*vere, vultuque non una manu compoſito, adit, Tui meo nomine ſalutandi ergo; Tibique hoc munuſculum, grati erga Te animi mei teſtimonium, adferendi. Conterraneo tuo, imo* (Cangis *jam amotis*) *noſtro, favere ne graveris. Vale, Pietatis & Literarum Cuſtos!*

Dabam *Iſcae Dunmoniorum,*
ex *S. S. Trin. Capella.*
Calend. Martiis. MDCCX.

GUIL.

GUIL. MUSGRAVE, *BELGÆ,* AD JVLII VITALIS *Epitaphium,* Commentarius.

Prooemium.

QUUM A.D. MDCCVIII. Menſe Octobri, in Via quadam publica ſternenda reficiendaque, prope *Bathoniam*, a Viocuris occuparentur Agricolae; qui, hanc ob cauſam, in Terrae viſcera fodiendo penetrarunt; forte fortuna in *Cippum* inciderunt, aliaque ad *Romanorum* — Cippus *ubi, & quando inventus:*

rum rem funeream ſpectantia. De *Cippo*, illius *Inſcriptione*, & quae ad eam ſpectant (dum Nives ſunt, & Gelu, iiſque Rus obſeſſum, & *Deus nobis haec otia fecit*) hodie ſcripturus ſum; de reliquis forſan olim.

Ejus Dimenſiones, CIPPUS, ad Coenobii *Bathoniae*, Prætoris Urbani cura, conſpiciendus, in longitudine Pedes ſeptem, Uncias duas; in latitudine Pedes tres, excepta Uncia, patet; *Epitaphium* habens, quod aere inciſum, & Tab. 1a. impreſſum, productis vocibus, ita legi mereatur.

Inſcriptio. Julius Vitalis, *Fabricenſis Legionis Viceſimae Valerianae Victricis, Stipendiorum novem, Annorum viginti novem, Natione* Belga, *ex Collegio Fabricenſium elatus, hic ſitus eſt.*

A prima Statione dimotum, et disjectum hunc fuiſſe Lapidem, vel eo patet; quod, ſive tempore, (quo evertentur omnia,) ſive caſu, ſive conſilio, proni jam in Verticem, ejus Baſis ſupina inveniretur. Everſum eum diu ſub terra conditum latuiſſe, ex ductu Literarum manifeſto, & Lapidis ad effodiendi uſque tempus integritate, licet colligere,

ligere. Alii *Cippo* adjacere, ſed nullo ordine Lapides, quinque, ſex; iique magni, rudes: Fuerint, uti conjicio, in *Suppedaneum* coagmentati; cujus, in medio, foramini *Cippus* immiſſus, beneficio crenae, quae eſt in altero imi Lapidis angulo, (Tab. 1a.) erectus ſuſtentabatur.

b & *c*, in eadem Tabula, cum linea interpoſita *Cippi* fracturam, eruendo commiſſam denotant.

Epitaphium in *Articulos*, ſive *Sectiones*, ita poteſt dividi.

---

§ 1 IVLIVS VITALIS
§ 2 FABRIGESIS
§ 3 LEG XX
§ 4 V V
§ 5 STIPENDIORVM IX
§ 6 ANNOR XX IX
§ 7 NATIONE
§ 8 BELGA
§ 9 EX COLECIO FABRICE
§ 10 ELATVS
§ 11 H S E

SECT. I.

IVLIVS. VITALIS.

QUIS ille, qualisve fuerit, praeterquam ex *Lapide Sepulcrali*, mihi non patet: quandoquidem nullo alio, quod sciam, Monumento facta est illius mentio. Quum autem moris esset, qui cum Libertate Civitatem adepti fuissent, [1] eos Patroni Nomina, per quem erant liberati, esse assecutos, & ad suos illa Nomina transferre; probabile mihi videtur, *Julium* hunc, Natione *Belgam*, aut *Julii Agricolæ*, aut *Julii Severi*, qui sub *Hadriano* [2] meruit in *Britanniis*, & sub *Antonino Pio*, cum *Rufino Sabinian.* Cos. fuit, aut alius alicujus *Romani* (sex vero praecellentes erant, in hac Insula, praenomine *Julii*) fuisse Libertum; vel po-

Quis sit Julius Vitalis, *praeterquam ex Lapide, ignoratur:* Romanus *ortu, an* Julii *forsan nomen ab insigni quodam* Romano *accepit?*

(1) Sigonius *De antiquo jure Civium Rom. L. II. Cap. XIV.*

(2) *Hist. Rom. lib.* 69. Xiphilin.

tius

tius hujuſmodi Liberto natum; itaque a *Julio* quodam Romano, nomen accepiſſe; vel *Romano* fuiſſe ortu.

Plures erant Cognomine Vitales.

PLURES certe *Vitales* erant, ut ex 3 *Scheffero*, 4 *Gutherio*, 5 *Reyneſio*, aliiſque conſtat: De *Papirio Vitali*, arte Pictoria, verba facit 6 *Inſcriptio Romana:* De *Vario Vitali*, *Inſcriptio Britannica*, quae a Clariſſ. *Galeo* editur. *Varius* hic *Vitalis*, ut ex Lapide manifeſtum eſt, Deo, qui Vias & Semitas commentus eſt, Aram Sacram reſtituit. *Hic*, inquit Doctiſſimus 7 Galeus, *obſervare non abs re erit, quod Via, quae ducit a* Londino *ad* Carleolum, [Herminſtreet] *dicebatur, nomenque id a* Mercurio, *ſive* Hermete, *Deo, qui Vias commentus eſt, iiſque praeſidet, ſortita fuiſſe videatur.*

---

(3) *Theſauri Antiquitatum Romanarum, a Clariſſ.* Græv io *publicati, Vol.* 12. *pag.* 1216.

(4) *Iterumque, pag.* 1224; *ubi de* Vitalium Sepulchro.

(5) *Syntagmate Inſcript. Antiq.*

(6) *Inſcriptionum antiquarum Sylloge, a Viro Clariſſ.* Guil. Fleetwood (*nunc Epiſcopo* Elwenſi) *in lucem edita. pag.* 273.

(7) Antonini *Iter Britanniarum, ejus Commentariis illuſtratum, pag.* 14.

Facta

Facta est haec *Inscriptio*, se testante, APRONIANO & BRADVA COS. Vixit ergo *Varius Vitalis*, & in *Britanniis* egit, A. D. secundum *Helvicum* 191. secundum Fastos *Savilianos* 192. Imo quidem hodieque in *Italia*, hujus Nominis aliquos, eosque numero & dignitate claros, superesse audio. *Jani Vitalis*, Siculi Poetae, recentis, elegantis, 8 extat in *Romae* Vices Carmen non injucundum.

(8) *In Deliciis Poetarum Italorum.*

SECT. II.

FABRICIESIS.

PRO *Fabricensis* : *C* & *E*, interponitur *I* brevis; ex Vulgi, uti licet opinari, pronunciatione; quae non tam Orthographiae, quam Euphoniae accommodata est. Sic 1 *Cartaginensis*, & (ἐξασυλλάβως). *Nonnunquam interponitur I.*

(1) Dausquii *Orthographicorum Vol. altero*, *voce* Cartaginiensis.

λάβως) *Carthaginienſis* habent antiqua Marmora. Sic *Armiluſtrum* apud 2 *Varronem*; at *Plutarchus* in *Romulo* Αρμιλούστριον, eadem prorſus utrobique ſignificatione. Sic *Liberitas* pro *Libertas*, in *Claudii Gothici* nummo; *Uberitas* pro *Ubertas*, in *Voluſiani* & *Quintilli*, legitur: ut ab Excellentiſſimo *Ezech.* 3 *Spanhemio* ſum edoctus. Ita noſtri homines, ex *Parlamento*, ſibi fecerunt *Parliament*.

Eandem ob cauſam, nempe Euphoniam, in eodem vocabulo [*Fabriciefis*] omitti Literam N, Clariſſimus & Doctiſſimus cenſet *Halleius*: cui utique opinioni aſtipulatur illud, in Domo *Carpenſi*, 4 COIVGI; & *Romae* illud, in aedibus *Atilii Delphini*, 4 COIUX. Similiter ad D: *Gregorii*, *Romae*, legitur 4 Inſcriptio, quae MATAVRESIUM habet; at in alia 5 Inſcriptione E & S interponitur N, & legi-

(2) *De L. L. Libro* 4*to*, & *ad eum locum* Turnebi *notam* 37.

(3) *Diſſertatione nona de Praeſtantia & uſu Numiſmatum.*

(4) Aldi Manutii *Scholia in* Julii Caeſaris *Commentarios. Edit. Plantin.* 1574.

(5) *Vol.* x. *Theſ. Antiq. Roman. a Clariſſ.* Graevio *Edit.*

tur

tur MATAVRENSIUM. Sic a *Columna*, Latini *Columella*; a *Monſtrum*, *Moſtellaria*; a *Lingua*, *Ligula*; ab *Effingo*, *Effigies*; ſic antiqui α, *Papiriano* teſte, *praſus*, *toſus*, *tuſus*, plerunque ſcribebant. *Sequenda eſt*, ait β *Velius Longus*, *nonnunquam Elegantia Eruditorum*, *quod quaſdam literas levitatis cauſa omiſerunt*, *ſicut* Cicero, *qui* Foreſia, & Horteſia, *ſine* N *litera libenter dicebat*. His confirmatur illa γ *Sereni Sammonici* lectio,

Multaq; praeterea verborum moſtra *ſilebo.*

Certe in Lapide *Bathonienſi* nullus hoc loco hiatus, nullum reſtat hujus Literae veſtigium, aut Lineolae ſupraductae & eam denotantis; ut ab initio nullum *N* fuiſſe, credibile ſit.

Maxima Romanis *Cura Exercituum*

HÆC, inquit δ Vegetius, *cura* [Romanorum] *erat praecipua*, *ut quicquid exercitui neceſſarium videbatur*, *nunquam deeſſet in caſtris*. Ideoque Civitatis initio *Fabrum* aliquot Centurias inſtituit (te-

I ſtante

α *Grammaticae Latin. Auctores antiqui*, per Putſchium, *MDCV*. p. 2237. β *P*. 2291.
γ Rob. Keuchenii *Notas ad Sammonicum*, p. 274.
δ *Lib*. 2. *Cap*. xi.

ſtante 6 *Dionyſio Halicarn.*) *Tullius* Rex, quibus datum munus, ut Arma & Machinas in bello facerent. Horum *Officinae* (ſic a 7 *Caeſare*, 8 *Cornelio Nepote*, 9 *Hirtio*, & 10 *Tacito* dicuntur) quibus, omnia Armorum genera formabantur, in Opidis & Legionibus fuere; ſed non ubique, vel ſemper ejuſdem modi. Nam in *Opidanis*, certo alicui loco fixis, diuturnitate temporum (quum jam augeretur res *Romana*, cum civili, militaris) Arma fabricabantur propter excellentiam *militaria* dici ſolita: (de quibus Articulo ix.) At, qui in Exercitu, & qui in Legionibus operam navabant, earum neceſſitatibus ut adeſſent; ut ſcil. Arma, ut Vehicula, ceteraque genera Tormentorum vel nova facerent, vel quaſſata repararent; cum Exercitu, & Legionibus egere; cum illis itinera, moras, ſtationes habuere.

Armorum Officinae in Opidanas & Legionarias *dividuntur.*

FABRI diu ſunt appellati, quique illis ſeu *Ferrariis*, ſeu *Tignariis*, ſeu *Carpentariis* praepoſitus fuit, *Praefectus Fabrum* ſive

Legionis Fabri, & *eorum* Praefectus.

(6) *Antiq. Roman. Lib. iv.* Liv. *Lib.* 1.
(7) *De Bello Civili Lib.* 1. (8) *In Ageſilao.*
(9) *De Bello Alexandrino & de Africano.*
(10) *Lib.* 11. *Hiſt. Cap.* 82.

ſive *Fabrorum*. Ita paſſim Inſcriptiones, & ut unam e multis allegem [11] *Camaloduni* illa

AVRELIVS. BASSVS. PROC. AVG.
PRAEF. FABR.

A [12] *Plutarcho* dicitur Ἔπαρχος τῶν τεχνιτῶν.

LEGIONIS eſſe *unius* Fabros, ſuos illi proprios, eorumque Praefectum, ex ſequenti apparet [13] Inſcriptione, Agro *Firmano Romae* eruta, quae inter alia habet

PRAEF. FABRVM. LEG. X.

& Fabros, eorumque Praefectum, in omni fuiſſe Legione non eſt improbabile: Sed & [14] *Vegetius* hoc aſſerere videtur.

ARMORUM *Officinae Ferrariae*, poſtea *Fabricae* dicebantur. *Fabricam Ferream*, ait [15] Plinius, *invenere Cyclopes*. Quod & de *Caſtrenſibus Officinis* locum obtinere cogitandum eſt. Nam, ut in Caſtrametationibus

Caſtrenſes *Armorum Officinae, poſtea Fabricae, & in iis Operarii*

(11) Camdeni *Britannia*. (12) *In Bruto.*
(13) *Cl.* Graevii *Praefationem ad Antiquitatum Roman. Vol. x: ut & Cl.* Dodwelli *Explicationem hujus Epitaphii; ſupra pag.* 3, 4.
(14) *De Re Militari Lib.* II. *Cap.* xi.
(15) *Nat. Hiſt. Lib.* 7. *Cap.* 56.

onibus *Romanis* Fabricae *Castrensis* (a *Sacra*, sive magna longe diversae, seduloque distinguendae) ratio habebatur, ab [16] *Hygino* Gromatico juxta ponuntur in iisdem Castris, Valetudinarium, Veterinarium, & *Fabrica.* [16] *Schelius*, qui ex praescripto *Hygini* formam Castrorum, tres Legiones cum supplementis comprehendentium, delineavit, & in aes incidi curavit, Nationibus dedit primum Strigam integram, deinde partem alteram Strigae, in qua Valetudinarium, Veterinarium, & *Fabricam.*

Fabricenses appellati.

A Vocabulo *Fabrica*, qui in ea cudebant Arma, &c. *Fabricenses* (Etymologia si non accurata, tamen admittenda) nominabantur; uti etiam Graecitate infima [17] *Φάβριξ, Φαβρικός, Φαβρικίσιος, Φαυρική, Φαυρικήσιος, Φαυρικίσιος.*

Vox ea legitur in Constitutionibus Impp.

E Libris prelo Typographico impressis, primum mihi inter legendum occurrit vox *Fabricensis*, in Impp. *Constantii* & *Constantis* A. A. [18] Lege, *Leontio* & *Sallustio* Coss. (id est, secundum Fastos *Savilianos*,

A. D.

(16) *Antiq. Roman.* a Graevio *Ed. Vol. x.*
(17) Joh. Meursii *Glossarium Graeco-Barbarum.* (18) *Cod.* Theod. *Lib. xiii. Tit.* 1. *L.* 37.

A. D. 344.) lata, & *Codice Theodosiano* memorata. Ibi cautum est, " *Ut quicun-*
" *que orti ex Decurionibus sese ad militi-*
" *am contulissent, in quibuscunque stipen-*
" *diis deprehensi, nulla absolvi praeroga-*
" *tiva temporis possint, sed ordinibus quos*
" *reliquerant traderentur. Hoc & in Cal-*
" *cariensibus, &* Fabricensibus, *& Ar-*
" *gentariis observetur, ut quicunque ob-*
" *noxii officiis vel muneribus civilibus ex*
" *supradictis* Fabricis *fuerint, Curiae resti-*
" *tuti, nec impetrato Rescribto liberentur.*
Deinde Imppp. *Gratiani*, *Valentiniani*, & *Theodosii* A. A. A. (19) Lege, *Gratiano* v. & *Theodos.* A. A. Coss. (id est, A. D. 380.) & Impp. *Arcadii* & *Honorii* A. A. (20) Lege, *Honorio* A. iv, & *Eutychiano* Coss. (id est, 398.) *Osio* Magistro officiorum inscripta; aliisque posthaec Legibus, Annis (21) CCCC, (22) CCCCIV, (23) CCCCXII, (24) CCCCXXXIIX, ut & (25) Lege Impp. *Leonis* & *Anthemii*, A. A. & Imp. *Anastasii* A. Lege. PRAETER

(19) *Leg.* 81. (20) *Lib. x. Tit. xxii. Leg. iv. Cod.* Justinian. *Lib. xi. Tit. ix. Leg.* 3.

(21) *Cod.* Theod. *Lib. vii. Tit. viii. Leg. viii.*

(22) ——— *Lib. x. Tit. xxii. Leg. v.*

(23) *Cod.* Justin. *Lib. xi. Tit. ix. Leg. iv.*

(24) *Leg. v. Cod.* Theod. *Novell. Lib.* 1. *Tit. xiii.* (25) *Cod.* Just. *L. xi. Tit. ix. Leg.* 6, 7.

Et Ammiano Marcellino.

PRAETER hasce Constitutiones Imperatorum, *Ammiani Marcellini*, qui circa annum 380 scripsit, Lib. 31. & una hac nostra Inscriptione, quantum ego perspicio, reperitur: At in *Vegetii*, qui fuit *Ammiano* σωύχεν☉, Libro *de Re Militari*, non inepte scripto, ne semel quidem occurrit. An quod ille *Catonis*, *Celsi* nostri, *Trajani*, *Hadriani*, & *Frontini* ex Commentariis, sua conscribens, in iis hanc vocem minime repererit, in medio relinquam.

Ab ea Voce, de Vitalis *aevo conjectura.*

IN Vocis hujus Origine & usu exponendo, longior idcirco fui, quoniam ex eo, de *Vitalis* aevo, re nimis obscura, (tanquam accenso lumine) lux aliqua videtur exoriri. Nam cum Voces certam habeant aetatem, ortus & occasus certos; & τῦ [*Fabricensis*] cum in *Caesare*, *Livio*, *Tacito*, *Dione*, aliisque, qui de *Romanorum* Armis & Militia luculenter multa tradidere; cum, inquam, in monumentis fide dignis nullum A. D. 344. vetustius exstet, & palam agnoscatur, (certe nullum exstare novi,) non multum ante quarti seculi medium, & altero forsan illius dimidio, *Vitalem* obiisse pene inducor opinari.

VIDE infra, quae ad τὸ (*FABRICE*) articulo nono, adnotantur.

SECT.

SECT. III.

LEG. XX.

LEGIO ab eligendo appellata est: Ita (1) *Varro*, *Legio*, *quod leguntur milites in dilectu.* *Unde* Legio.

UT τȣ̃ [XX] ratio explicetur, adnotandum ex *Dione*, Legiones appellari *Primam*, *Secundam*, *Tertiam*, & sic deinceps, ex dilectuum ordine; sic enim (2) ille Οὕτω δ' δὴ τὰ πολιτικὰ στρατόπεδα πρὸς τὴν τῶν καταλόγων τάξιν ὠνομάζετο· ὅθεν περ καὶ νῦν ὁμοίως τὰ νῦν ὄντα τὰς ἐπικλήσεις ἔχει. Legionum *ex dilectu ordo.*

ETSI *Legionum*, quae dicuntur *Antonii*, numerus sit incertus; ((3) alius enim XXIII, (4) alius XXV, (5) alius XXVIII, (6) alius XXXV recenset;) certissimum tamen *Legiones* Antonianae *continuato ordine*, XXV:

(1) *Lib.* 4. *de L. L.* (2) *Lib.* 38.
(3) Plutarchus *in Antonio.* (4) Dio, *L.* 55.
(5) Appian. *Bellorum Civilium Lib.* 5.
(6) *Epistola* Galbae *ad Ciceronem*, *Lib.* x. *Epist.* xxx. *Edit. Graev.*

men eſt,ex argenteis, quos 7 *Fulvius Urſinus* vidit Denarios, eas ad XXV continuato uſque numero aſſurgere; eodemque interrupto, ad XXXIII: & non improbabile, imo quidem maxime veriſimile eſt, ex iis XXV unam, ut ab ejus Signis arguere licet, fuiſſe hanc noſtram.

Quarum e numero haec Viceſima.

LEGIONIS Viceſimae Signa, firmiſſimum hujus rei argumentum, tum quia Signorum majeſtate nihil militibus ſanctius, nihil venerabilius ſit, ex 8 *Urſino*, hic apponi fecimus: (Tab. 2. Fig. 1.) Ubi *Antonii* Nummus altera facie Navim ejus Praetoriam(de hujus Claſſe 9 *Plutarchus*:) altera *Legionis viceſimae* Aquilam, & alia duo Signa exhibet. In unaquaque Legione decem erant Cohortes, quarum prima (quae & numero, & dignitate Militum excelluit,) *Aquilam* geſtabat, ſculptam, auro argentove incruſtatam: quod erat praecipuum, ut & totius *Legionis Inſigne.* Reliquis novem Cohortibus *Signa* erant, ſingulae ſingulum; quorum hic duo exprimuntur. Ea ſimiliter aureo vel argenteo colore,aliove quovis eleganter intincta, &

Ejus Inſignia.

(7) *Familias Romanas, Ed.* Par. *MDCLXIII.* p. 29. (8) *Pag.* 32. (9) *In Antonio.*

Tab. II. Fig: 1.





Fig: 2.



Post Pag: 64.

& Circulis ornata, Haſtis ſunt impoſita, extremitate altera peracutis, ut in terram melius defigi poſſent.

DE hoc Articulo [LEG. XX.] notatu dignum eſt, quod, ut *Romanum Marmor* oſtendit plures cenſeri Legiones *Primas*, plures *Secundas*, plures *Tertias*, plures *Quartas*, plures *Septimas*, (uti patet ex ejus *Inſcriptione*, Legionum Nomina recenſente, a 10 *Roſino*, 11 *Schedio*, 12 *Pancirollo*, 13 *Lipſio*, aliiſq; paſſim excuſa;) ita quidem Lapidum et Nummi, de quibus illico, fide conſtat, *plures etiam fuiſſe Legiones Viceſimas:* Quod a viris aliquibus doctis, & eruditione claris ὑστερογῶμενον, graviſſima illis errandi cauſa, & πρῶτον ψεῦδος exſtitiſſe viſum eſt.

Plures erant Legiones Viceſimæ:

QUOTAE vero fuerint *Viceſimae*, propter & numerum, & nomina Legionum incerta, ſaepiuſque mutata, dictu perdifficile eſt. *Lazius* quinque vult, *Viceſimam*

Quotae vero, dubium eſt.

(10) *Antiq. Rom. Lib. x. Cap. iv.*
(11) *De Diis Germanis, Cap.* 1.
(12) *In Notis ad Notitiam.*
(13) *Ad* Taciti *Lib.* 11. *Hiſtor. Notis; ut & Analectis ad Militiam Romanam,* p. 423 *Edit. Veſaliæ.*

ſimam Italicam, *Pannonicam*, *Britannicam*, *Hiſpanicam Geminam.* Tot autem eſſe Legiones revera diſtinctas, nullus auſim affirmare. *Urſatus*, autoritate Monumentorum, *Legionem viceſimam Britannicam*, *& Legionem Viceſimam Geminam Provinciae Hiſpanicae citerioris*, eſſe contendit: et ex Lapide *Parmenſi*, uti etiam *Inſcriptione* a *Grutero* memorata, quae habent utraque

Viceſima Valens Victrix.

LEG. XX. VALEN. VICTR.

omnino conſtat, *Viceſimam* fuiſſe dictam *Valentem Victricem:* quae forte *Lazii Pannonica* fuit; nam ex *Pannonia* Legiones in praelio, non procul a *Parma*, *Bedriaco*, ad *Cremonam*, *Othoni* adfuiſſe, teſtatur 14 *Dio.* Nummum, quem dixi, e Theſauro *Croyiaco* profert 15 *Gevartius.* Habet altera illius facies (ut in Tab. 2. Fig. 2.)

Viceſima Hiſpanica.

LEG. XX. HISPANICÆ.

cum Aquila & duobus Signis.

ADEO quidem manifeſte patet, Nummi hujus, illius Lapidis, & *Dionis* 16 teſtimonio, *plures* (ita verum, quod initio dixi) *fuiſſe Legiones Viceſimas.*

PORRO

---

(14) *Lib.* 64. (15) *Ed.* Antwerp. *A.* 1654. *Tab. viii.* (16) *Lib.* 55.

Plurium confirmatio.

PORRO certissimum est, ex pluribus his *Vicesimis*, unam tantum in *Britanniis* unquam meruisse; nimirum hanc nostram, Literis [V. V.] notatam: Ut & summe probabile est, (quod brevi elucebit) eam in *Hispania*, ceu *Pannonia*, nunquam hiberna posuisse; proindeque a *Vicesimis Hispanica*, & *Pannonica*, (ut de *Italica* in praesenti nequid dicam) distingui prorsus oportere.

Quibus haec nostra Vicesima *Nominibus appelletur.*

PLURIBUS ea nominibus insignita fuit: nunc enim *Legio Vicesima*, absolute; (ut a 17 *Tacito*, & in 18 Laterculo vetere, & *Ursini* Numismate jam nunc laudato:) nunc, a Statione, *Britannica*; (ut ex eodem 17 Historico, & 19 *Ursato* liquet:) nunc Λεγίων Κ Νικηφόρος, (ut ex 20 *Ptolemaeo*;) & Latine *Victrix*; (ut ex Marmore 21 *Romano*, & 22 *Antonini*, quod dici solet, *Itinerario*:) nunc Οὐαλερίειοι καὶ Νικήτορες, (ut ex 23 *Dione*) id est, *Valeriana*

&

(17) *Annalium Lib.* 1. § 31, & 37. *Histor. Lib.* 3. § 22.

(18) Camden. *in Comitatu Flintshire.*

(19) *De Notis Roman.* 1672.

(20) Ptolemaei *Geogr. Lib.* 1. *Cap.* 3.

(21) *Supra citato, numeris* 10, 11, 12, 13.

(22) *Itinere* 11. *pag.* 29. *Ed.* Galean.

(23) *Lib.* 55.

& *Victrix*; quod, ut ostendam illico, Nota [V. V.] significatur; (ut *Inscriptione* tum nostra *Bathoniensi* constat, tum aliis ei consimilibus alibi repertis,) fuit appellata.

Ab Augusto *servata apud* Rhenum *agit.*

HAEC illa *Legio*, quae, cum *Antonii Lepidique* arma cesserant in *Augustum*, & ille militiam ordinaverat, ab eo 23 servata est; & cum septem aliis *Legionibus*, praefectum accipiens *Germanicum*, *Drusi* filium, adversus *Germanos*, (abolendae ergo infamiae, propter amissum cum *Quinctilio Varo* Exercitum) 24 apud *Rhenum* egit.

Tumultuatur.

SUB *Augusti* mortem, orto ab aliis Legionibus initio, cum *Prima*, apud *Rheni* ripam, in seditionem tracta 25 est haec *Vicesima*, & tumultuosius se gessit.

Ubiis *hiemat.*

[26 *A Caecina Legato in Civitatem* Ubiorum *est reducta,*] ubi [27 *Hiemavit.*]

Oratione Germanici *placatur.*

CUM Prima Legione iterum insaniens, oratione *Germanici*, certe facunda, (referente 28 *Tacito*) sedata est; & a commilitonibus seditiosi, in suggestu primum ostensi, ab iisque condemnati, tum praecipes dati, nece puniuntur.

POST-

(24) Taciti *Annal. Lib.* I. *initio.*
(25) *Cap.* 31. (26) *Cap.* 31. (27) *Cap.* 39.
(28) *Cap.* 42, 43.

POSTHAEC Exercitui, per saltus *Germanicos* iter facienti, *Bructerorum*, aliorumque insidias evadenti fuit 29 praesidio: [*Sinistrum latus Unetvicesimani, dextrum Quintani clausere.* Vicesima Legio *terga firmavit.*] Et turbatis a *Germanorum* catervis Cohortibus *Romanis*, *Caesar* advectus est ad 30 *Vicesimanos*; eoque hortante, [*Uno impetu perreptum hostem redigunt in aperta, 30 caeduntque:*] *Romanis* hinc quietum iter, & *Vicesimanis* honos. Romanum *servat Exercitum.*

CONTRA *Arminium* [*diliguntur Legiones, Quinta dextro lateri, Unetvicesima in laevum; Primani ducendum ad agmen;* Vicesimanus 31 *adversum secuturos.*] *Contra* Arminium *ducitur.*

POST HAEC, in *Belgio*, seu vicinis illi locis, quum ejus hiberna essent, verisimile videtur, eam illinc in *Britanniam*, prima sub *Claudio* expeditione, quae fuerat A. D. 43, una cum exercitu, *Aulo Plautio* Duce, transferri. *Translationis* id fuisse tempus, eo colligimus, quod altera *Claudii* in hanc Insulam Expeditio; qua nimirum Imp. ipse una cum *Scribonio* nostro, & Elephantis huc appulsus est, non ut Doctiss. *Postea*, Claudii *mandato*, *in*Britanniam *translata est.*

(29) *Cap.* 51. (30) *Ibid.* (31) Taciti *Annal. Lib.* 1. *Cap.* 64.

Doctiss. *Sam. Pitiscus* in Notis [32] ad *Suetonii Claudium* eruditissimis, *C. Crispo.* II. *T. Statilio* Coss. suscepta est: Jis Consulatum agentibus, *Romam* equidem *Britannia* [33] *reversus* est; sed anno praecedenti ille, suo nempe III, cum *Vitellii* II Consulatu, rerum urbanarum militariumque cura Collegae suo mandata (quod a *Dione* traditum) iter [34] *inchoavit.* Cui illud consonum, quod a Doctissimo *Thoma Lydyat*, Emendatore Temporum insigni, [35] scriptum [*A.* 16 *Evangelii praedicati Imp. Claudius Britanniam subjugavit.*] Evangelii vero praedicati Annus, secundum illum, viginti octo annis, quam A. D. posterior est: at 16 + 28 = 44.

HOC autem de altera *Claudii* Expeditione dato positoque, non difficile erit primae, sive illius, quam dixi, Translationis annum statuere: Quum enim earum
A. D. 43. Expeditionum res adeo graves & diuturnae essent, ut una eademque aestate, ne dicam anno, minime praestari possent, restat ad Annum proxime superiorem, nempe 43, ut Invasio *Plautiana* referatur.

QUAE

(32) *Cap.* 17. *Sect.* 7.

(33) Dio *Lib. lx. p.* 680. (34) *Lib. lx. p.* 679. *Edit. Wecheliana, Hanoviæ, in Fol.* (35) *Emendatio Temporum, Compendio facta, Lond.* 1609.

QUAE quidem *Invasio*, tanquam magni momenti *Epoche*, *Britannis* certe studiose investiganda, summopere celebranda; quando illius beneficio, Scientiarum, Virtutum omnium moralium doctrinas, magna ex parte; eas autem, quae Revelatae sunt, universas, a *Romanis* post paulo domiti, καθόλυ debeamus. In iis, quae sunt *Christianae* Fidei, propagandis in *Britannia*, non parum contulisse visa est insignis Faemina, *Pomponia Graecina*, *Plautio* juncta matrimonio; quae (tradente 36 *Tacito*) *Superstitionis externae rea*, id est, *Christianam Fidem*, quae a *Romanis* ipsoque 37 *Tacito* dicta est *Superstitio*, professa, prima omnium in *Britannia Christianorum* non immerito existimetur.

Invasio Plautiana Britannis *Epoche celebranda.*

Graecina, Plautii *Uxor, prima* Christianorum *in* Britannia.

HAEC Expeditio plenius a *Tacito*, qui de rebus *Britannicis* accurate, narrari censetur; & cum quatuor illius, post primos Annalium sex Libros, intercidisse: Siquando illi, denuo restituti, in lucem venerint, summa proculdubio cum voluptate perlegenda.

Expeditionis hujus Historia desideratur.

PRIMA

(36) *Annalium Lib. xiii. Cap.* 32. *Et* Lipsii *ad hunc locum Notam.* (37) *Lib.* 15. *Cap.* 44.

Praelio cum Boadicia *novissimo interfuit haec xx.a.*

PRIMA *Legionis* hujus, in *Britannia* militantis, quae hodie exſtat, ab eodem Hiſtorico facta eſt mentio. 38 *Suetonio Propraetori*, paulo ante ultimam cum *Boadicia* pugnam, alicubi in *Britannia* tunc agenti, adfuiſſe dicitur [*Quartadecima Legio, cum Vexillariis Viceſimariis*;] neque Vexillarios ab ipſa Legione procul abeſſe cogitandum eſt: Namque Praelio iſti, quod *Boadiciae* (uni e Reginarum illa Quaternione, *Eliſabetham*, *Mariam*, Dominamque noſtram ANNAM Auguſtam Opt. Max. comprehendente, qua nulla unquam Aetas, nulla Gens, quam *Britannia* noſtra, peperit illuſtriorem) fatale erat, interfuit *Legio Viceſima*; quamque ſtrenue, quaque fortitudine ſe geſſerit, ex Victoriae magnitudine poteſt inferri. *Poſthumius* alienae gloriae impatiens, ſibi manus inferre dictus eſt; [39 Poſthumius *cognitis quartadecimanorum Viceſimanorumque proſperis rebus, quia pari gloria Legionem ſuam fraudaverat, abnueratque contra ritum militiae juſſa Ducis, ſeipſum gladio tranſegit.*]

Reginarum *in hac Inſula Quaternio illuſtriſſima.*

PRAECLARAM hanc victoriam adepti ſunt *Romani*, C. *Caeſonio Poeto*, C. *Petro*

(38) *Lib.* 14. *Cap.* 34. (39) *Cap. xxxvii.*

Petro Sabino Turpiliano Coss. id est, A. U. DCCCXIII, secundum *Pighium*; at secundum Fastos Regum & Episcoporum *Angliae Savilianos*, A. U. DCCCXIV. id est, *Imperii Neroniani* septimo, vel octavo; ut demirari liceat non neminem asseruisse 40 [*Legionem Vicesimam, Galba Imperatore iterum, & T. Vinnio Coss.* (id est, anno post devictam *Boadiciam* octavo) *in Britanniam transmitti.*] Nisi quis probaverit, dudum evocatam ex *Britannia* Legionem in eam his Coss. iterum transmitti.

Viri Clar. de hac re alucinatio.

POSTEA [*Roscius Caelius* 41 *Legatus Vicesimae Legionis*] dictus est.

Legionis hujus Praefecti.

VESPASIANO Imperante, *Domitianus* [*missum ad dilectus agendos* Agricolam, *integreque ac strenue versatum, xx^{ae} Legioni tarde ad sacramentum transgressae praeposuit.* a]

HAE *Taciti* Sententiae *Cippo* hoc nostro (aliisque hujusmodi monumentis) confirmantur, Autorique fidem conciliant, vel eorum opinione, qui raro ullis e Veteribus Scriptis, nisi Lapidum, Nummorum, aliove aliquo incorrupto certissimoque testimonio confirmatis, fidem adhibeant.

Tacito *fidem ista conciliant.*

L LEGA

(40) Camdeni *Cestria.*
(41) Taciti *Hist. Lib.* 1. *Sect. lx.*
(a) Julii Agricolae *Vita*, *Sect. vii.*

Vespasianus *IIæ Legioni praefuit.*

LEGATUM *Legionis xx*[æ] sub *Claudio* fuisse *Vespasianum*, asserit Doctiss. 42 *Camdenus*; rectene vero, mihi dubium: *Secundae* enim *Legioni*, quae similiter in *Britannia* fuit, a *Claudio* praepositum, affirmat 43 *Tacitus.*

Legionis xxæ Statio ad Devæ *ostium:*

LEGIONIS hujus statio in *Britanniis* praecipua fuit ad *Devae* ostium, & in Regionibus ei propinquis. Ab ea stationem ibi agente, primo fit Municipium, & deinde 44 Colonia; quod *Getae* 44 Nummus, & 44 Latercula testantur, ad *Devam* eruta. Nummi illius apud *Goltzium* hæc esse traditur Επιγραφὴ,

COL. DIVANA. LEG. XX. VICTRIX.

His ex initiis Civitas, hodie dicta *West-Chester*; ut & illius Vocabula: nimirum *Chester*, a *Castrum*; & Latine *Deva*, Graece Δηΐουα, a *Dwy*; quod est *Britannice* nomen Fluvii, eo loci in *Hibernicum* mare se exonerantis.

Unde vrbs Devana.

QUO vero tempore, primum ad *Devam* illa Legio consedit, ambigitur. Rei summam,

(42) *Comitatu* Wiltshire. (43) *Hist.L.*3.*C.*44.
(44) Camdenus *in Comitatibus* Cheshire, & Flintshire.

ſummam, quam poſſim, luculenter exponam. Certiſſimum eſt, autoritate (45) *Taciti*, *Julium Agricolam Ordovices*, (qui Alam prope univerſam paulo ante obtriverant) ut & *Monam* Inſulam invaſiſſe: utque dicatur illos ſubegiſſe; ſic credatur etiam *Cangos*, aliaſque Nationes illis vicinas, eodem tempore perterruiſſe. Fuerant *Ordovices* olim ab *Oſtorio* victi, ab eoque *ductus in Cangos exercitus*: *Monam Suetonius* ſubegerat. Sed quum omnes hae Nationes ſeſe denuo extulerint, fidemque mutaverint, ad eas coercendas, intraque fidem retinendas, opus erat *Agricolae* praeſidiis, & militum ſtatione. Hinc, ut ego quidem arbitror, *Legioni XXæ*, ad *Devae* oſtium, quod omnibus hiſce nationibus in propinquo, hiberna.

Quo primum tempore ad Devam *illa* Legio *conſedit;*

CUI quidem opinioni maximopere favent ea, quae a *Tacito* narrantur. Poſt Civitatis *Ordovicum* & *Monae* Inſulæ reductionem, praedicatis ſummi viri, Socerique ſui, *Agricolae*; tum moderatione tum prudentia, [*Quibus* (45), inquit, *rebus multae Civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, datis obſidibus iram poſuere, & Praeſidiis Caſtelliſque circumdatae, tanta ratione*

E Tacito *probatur.*

(45) *In Vita* Agricolae.

ne curaque, ut nulla ante Britanniae *novae pars illacessita transierit.*]

AGRICOLA *Britanniam* Propraetor adiit, secundum [46] *Savilium*, anno *Flaviani* Imperii penultimo, & quidem *media*, secundum *Tacitum*, *aestate*; id est, A.D. 79. *Ordovices*, & *Monam* Insulam, confestim aggressus, subjugavit. Anno *Julianarum* Expeditionum altero, Praesidium ad *Devae* ostium poni, Castellum erigi videtur: Ut qui A. D. 80, mortis *Vespasiani* Imp. & (verbo late sumpto) *Devanae* U.C. Annus existimari possit.

Devanæ *U. C. A. D.* 80.

DUM in his sumus, antequam *Cangos* e vicinia *Belgarum* agam, ut vagis, ut extorribus, ut incerti laris hominibus, ne parum humanus esse videar, nisi terram, quam incolerent, aliquam statuerim, iis (ut id obiter dicam) assignanda mihi videtur ex antiquorum mente illa, quæ fluvio *Deva* ad orientem, *Ordovicibus* ab austro, & qua ad mare pertinet, *Hibernico* includitur. Ibi enim, quod de *Cangorum* Patria narratur, [*Ventum* [a] *haud procul mari quod Hiberniam Insulam aspectat*:] Ibi Καγκανῶν ἄκρον, id est, *Cangorum* Promontorium:

Cangorum *Patria.*

(46) *Fastos* Savilianos.
(a) Taciti *Annal. Lib.* xii.

rium β: Ibi Laminæ, de quibus † infra, plumbeæ, *Cangos* ſub jugum, & quidem eo loci, miſſos oſtendentes, in litore effoſſæ: Illinc itum facile in *Brigantes*, in *Silures*, in *Ordovices*; quod ab *Agricola* γ factum: Ut totius orbis una ſit haec terrae portio, cui iſthaec omnia tam belle conveniant. Hos *Agricola*, redactis *Ordovicibus* & *Mona* Inſula perterritos, [*quinto* γ *Expeditionum anno*, (cum jam in *Hiberniam* iter animo intenderet) *crebris ſimul ac proſperis prœliis domuit, eamque partem* Britanniae, *quae* Hiberniam *aſpicit*, *copiis inſtruxit, in ſpem magis quam in formidinem.*] Hunc *Taciti* locum, de *Cangis* hoc anno ſuperatis intellegi debere, vel eo liquet, quod iſta Laminarum Inſcriptio cum loco *Taciti* jam dicto, tanquam Teſſera, concordet. Laminae enim oſtendunt, imperante *Domitiano* domitos fuiſſe *Cangos*: Locus ille *Taciti* declarat ab *Agricola* praeclare acta, *quinto* Expeditionum anno; haec autem anno *Domitiani* Imp. *primo* acta ſint neceſſe eſt, quum ab eodem Hiſtorico tradatur, in *Caledoniam* anno ſequenti duce *Agricola* penetraſſe exercitum, ibique

Quo anno illi a Romanis;

(β) Ptolemæi *Geograph. Lib.* 1. *Cap.* 3.
(†) *Sect. viii.* (γ) *In ejus Vita.*

ibique per reliquam ejus administrationem tempus exegisse. Utque isthaec *ejusdem esse anni*, sic & *ejusdem Viri*, atque adeo *eadem facta* sine dubio videntur. Hinc elicitur, ubi Patria *Cangorum*, & a *Romanis* illi quando, (nempe primo *Domitiani* Imp. anno) & quo Duce (nimirum *Agricola*) subigerentur: sed ad *Julii* nostri Legionem redeo.

Et quo Duce domiti.

MORA hujus Legionis in *Britanniis* an perpetua, merito disquiri potest: In Bellis civilibus *Othonis*, *Vitellii*, *Vespasianique*, quibus, ut tangam hujuscemodi Bella commovendi fructum, *a Filio Pater* (attendite, seditiosi, nisi

—*Ora Pallor albus inficit,*
Mentesque perculsae stupent;

& audite, novarum rerum appetentes,) *a Filio*, inquam, *Pater est occisus*; in iis utique Bellis, quum de 47 *Britannico exercitu Vitellianis adjuncto* legerim, ita esse posse judicavi, ut eo tempore haec *vicesima* in *Italiam* evocaretur. De *Legione Quartadecima*

E Britanniis, *in* Italiam, *evocari Leg. xxæ Vexilla*;

(47) Taciti *Hist. Lib.* 1. *Cap.* 61.

decima res in [48] propatulo eſt, eam nimirum motibus his interfuiſſe, & in trucidandis civibus ſtrenue ſe geſſiſſe: ſed de *Legione XXâ* res in dubio, imo quidem alia videtur. Narrat [49] *Tacitus*, *Vexillarios trium Britannicarum Legionum* (e quibus una, haec *Viceſima* cenſenda eſt) a *Vitellio*, ſub *Caecina ſtare*; ut & *Vexilla Viceſimae* una cum aliis, mediam aciem, contra *Veſpaſianum*, ad *Cremonam*, ut aliqui [50] tradiderant, complere: conſtat ergo *Legionis Viceſimae Britannicae Vexilla*, minime vero conſtat, *Legionem* e *Britanniis* hoc tempore evocari. Vexillationes enim a Legionibus diverſas eſſe, probat e *Vegetio* *Stewechius*. [a]

Legionem non item.

NUMMUS exſtare dicitur [51], cujus altera facies habet [*Hadrianus Aug. Conſul III, Pater Patriae:*] altera [*Exercitus Romanus*] cum tribus Militibus; qui ut tres Legiones, & in iis hanc Viceſimam repraeſentare, ſic eam *Hadriani* tempore in *Britannia* fuiſſe, cenſentur arguere.

Sub Hadriano hic meruit, &

ANTO-

---

(48) *Lib.* II. (49) *Ibi*; *ſub finem.*
(50) *Lib.* III. *Cap.* 22.
(a) *Com. ad.* Vegetii *Lib.* II. *Cap.* I.
(51) Speed's *Hiſtory of* Great-Britain, *inter Numiſmata.*

Sub Antonino Pio, ejus Vexillatio in Caledonia.

ANTONINUS Pius Britannos per *Lollium Urbicum* vicit, alio, ab *Hadriani* muro caespiticio, submotis Barbaris, ducto. Murus ille *Glottam* inter & *Bodotriam* est, (*between Dunbritton Frith, and Edinborough Frith*) perque mille passuum tres, a Vexillatione Legionis XX. VAL. VIC. factus; quod Inscriptione veteri apud *Camdenum* 52 patet.

De hac vicesima Ptolemaeus & Antonini *Itinerarium.*

DE hac Legione, & Urbe *Devana Ptolemaeus* 53, Ἐν οἷς (i. e. Κορναυίοις) πόλεις Δηούανα, καὶ Λεγίων νικηφόρειος, Οὐιεροκόνιον. Quidam (affirmante Doctiss. *Galeo*) *Ptolemaei* Codices habent Δῆουα. *Antonini* Iter II

DEVA. LEG. XX. VICT.

Unde palam est *Ptolemaei*, & *Antonini* illius tempore, cujus exstat Itinerarium, *Devae* Legionem hanc egisse.

Devae, *sub* Commodo, *egit.*

DEVAE A. D. 1653, effossum est Altare, quod *Jovi O. M. Tanaro T. Elupius Galerius*, *Praesens Gunta*, (id est, interpretante Doctiss. *Prideoco* 54, *Praeses Gunethae*,

(52) *Clariss.* Camdeni *Sterling-shire.* Julii Capitolini *Antoninum Pium*, *& in eum Casauboni notas.* Pausaniae *Lib.* 8.

(53) *Geograph. Lib.* 1. *Cap.* 3.

(54) *Vide Notas ejus in Marmora* Oxoniensia.

nethae, North-Wales) *Principibus* *Leg: XX. V. V.* *consecravit*, *Commodo & Laterano Coss.* id est, intra annos 179 & 194, primum & ultimum *Commodi* Consulatus: Nam de Collega *Laterano* nihil invenio. Intra hosce annos, ibi hanc vicesimam hiberna tenuisse, probat hoc Altare.

CERTISSIMA Legionis hujus Vestigia, apud *Brigantes*,55 hodie visuntur, ad *Crawdundale-Waith*. Inscriptio Rupi incisa, sub *Varronio Praefecto* LEG. XX. V. V. a Statione *Devana* (ad tuendos Limites, uti nonnullis; ad Lapides e Latomiis eo loci effodiendos, uti aliis visum fuit) evocari monstrat. *Et apud* Brigantes.

HOC terræ tractu, (si de meis aliquid interponere licebit) in eo similiter regendo occupati, a *Saxonum* temporibus ad hunc usque diem, sexcentos annos & eo amplius, sedem (hoc praefiscini dicam) habuere 56 *Mosgravii*; id est, *Limitum incultorum Praefecti*, ab Officio Nomen accipientes. *Moss* enim, *Anglorum* septentrionalium Idiomate, significat *Regionem incultam*, *Mosco obductam*; quales erant Regnorum (Mols, *apud* Anglos *septentrionales, quid significet.*)

M

(55) *Cl.* Camdeni *Britannia.*
(56) *Vide Doctiss.* Thomae Machell, *ad Cl. Camdeni Westmorelandiam, Additamenta.*

gnorum *Angliae Scotiae*que Limites: (Unde trans *Itunam* fluvium, ad ejus Aeſtuarium, *Salom-Moſs*; & qui tractus hoſce praedones infeſtant, *Moſs-Troopers*, in publicis *Angliae* Statutis 57 appellantur:) Sed

——*Vix ea noſtra voco.*

EX *Dione* conſtat, *Alexandri Severi* tempore Legionem hanc in *Britannia* fuiſſe: Hoc enim ab Hiſtorico † diſerte dictum.

Diocletiano Maximinianoque *Impp. in* Britannia *fuit.*

ALTARE Patris & Filii *Longinorum*, qui ſub *Conſtantio* meruerunt in *Britannia*, cum Numiſmate ei ſubjecto, (de quibus Autor Additamentorum ad *Camdeni Ceſtriam*, & ſecundum illum Clariſſ. 58 *Leighus*) luculenter oſtendit, hanc Legionem, imperantibus *Diocletiano* & *Maximiniano*, in *Britannia* fuiſſe. De utroque dicam, cum ſcitu dignum, neque vulgo ſatis notum; ſed, pro inſtituti ratione, breviter. Nemini fere incognitum eſt, *Carauſium*, ignobilem iſtum *Menapienſem*, arte militari prae-

(57) Caroli Secundi, *Anno tertio & quarto decimo, Cap.* 22.

† *Lib.* 55. (58) *Hiſtoria Lancaſtriæ, Ceſtriæ, &c. Lib.* 3. *p.* 29.

TAB. III.

Fig. 1.



Fig 2.



Post pag. 82.

praecellentem, a *Maximiniano* Imp. propter inique facta, jussum occidi, Purpuram usurpasse, *Britanniam* occupasse, Septennium tenuisse. Legionem hanc XXam a partibus stetisse *Carausianis*, Nummus ostendit aereus, *Aquis Solis* inventus, & a viro Doctiss. *Tho. Guidott* cum orbe literato 59 communicatus. Nummi hujus, Tab. 3. Fig. 1. expressi, facies habet altera Caput *Carausii* Imp. corona radiata cinctum, cum

A Carausio stetit.

Numisma Carausianum,

IMP. C. CARAVSIVS. P. F. AVG.

Altera PAX. AVG. cum Pacis Imagine Fulmen dextera, Hastam sinistra comprehendente: Cui a lateribus B & E significant *Britannicum Exercitum*; sub pedibus MIXX, *Militia vicesimana*; vel, si legatur MLXX, *Milites Legionis vicesimae.*

NUMMUS hic excusus est, ut opinantur aliqui, victis Piratis, qui sub haec tempora mare *Britannicum* infestarunt; verum, ut ego quidem arbitror, aliquanto post, sub finem illius Imperii, pace videlicet, post bellum diutinum, cum *Romanis* Imp. conventa: qua de Pace sic 60 *Eutropius*

Quo tempore percussum.

M 2

(59) *A Discourse of* Bath, Lond. 1676. *Cap*, *x*.
(60) *Lib. ix*. *Cl.* Seldeni *Mare Clausum*, *L.* 11. *Cap. v.*

pius, quaſi nummum hunc ob oculos habens, [*Cum* Carauſio *tamen cum Bella fruſtra tentata eſſent, contra virum rei militaris peritiſſimum, ad poſtremum* Pax *convenit.*]

CARAVSIVM interfecit, ei maxime familiaris, *Allectus*; *Allectum*, poſt trium annorum Imperium, *Conſtantii Chlori*, qui ſub auſpiciis Augg. in eum duxit exercitum, Miles. *Britannia Romano* Imperio feliciter reſtituta, *Flavius Longinus*, qui Legionis XXæ fuit Tribunus, una cum Filio, *Devae* ſtruxit Altare, cujus ante aliquot annos effoſſi [61] Inſcriptio legitur hujuſmodi.

Longinorum *Altare*,

I
PRO. SAL. DOMN
ORVM. NN. INVI
I
CTSSIMORVM
I
AVGG. GENO LOCI
FLAVIVS LONG.
TRIB. MIL. LEG. XX
I
LONGNVS. FI
EIVS. [illegible] DOMO
SAMOSATA.
V. S

(61) *Additamenta ad* Camdeni Ceſtriam.

LUCE clarius meridiana patet, a *Longinis* hoc Altare fuiſſe poſitum, ut ii, *Carauſio* dudum, forſan etiam *Allecto*, nimis addicti, ſed a *Conſtantio* nuper redacti, jam apud *Diocletianum* & *Maximinianum*, quos hic *Dominos* appellant *invictiſſimos*, *Auguſtos*, gratiam inirent; atque hac de cauſa, pro eorum ſalute,loci Genio fuiſſe poſitum. *quo Auguſtis ſe commendare conantur.*

SUB Altari, qui ejus aetatem indicat, Nummus erat (*Romanorum* more, quibus ſolenne dictum eſt aedificiorum & monumentorum fundamentis eum injicere) repertus; cujus altero latere, cum Facie *Conſtantii* dimidiata, *Conſtantii Nob.C. Nummus ei ſubjicitur;*

FL. VAL. CONSTANTIVS. NOB. C.

altero vero

GENIO POPVLI ROMANI.

cum Genii, dextera Pateram, ſiniſtra Cornucopiam tenentis imagine.

NUMMUS iſte rerum a *Conſtantio*, *Nobili Caeſare*, necdum *Auguſto*, geſtarum, quam a Clariſſimo *Leïgho* mutuatus ſum Hiſtoriam 58, omnino confirmat. Superaddam, in iſtiuſmodi Nummo, quem penes me habeo, & Tab. exprimi tertia, *qui Hiſtoriæ ſummam explicat.*

Fig.

Fig. 2^{a} curavi, producta voce altera legi NOB. CAES: Genii vero huic illique lateribus, apponi literas R & E; quibus significatur *Romanus Exercitus*, & innui videtur *Romanum Britannico* (qui in Nummo *Carausiano* literis B & E notatus est) fuisse superiorem.

Leg. xxæ pars aliqua stationem habuit Aquis Calidis.

M. VALERII & *J. Vitalis* Cippi, propter *Aquas Calidas* effossi, tum eos e Legione vicesima fuisse, tum illius Legionis seu Cohortem, seu Manipulos, seu Centurias aliquot ibi Stationem habuisse, non levi probant argumento: Alter eorum (scil. *J. Vitalis* Cippus) eas circa quarti seculi medium, aut finem, ibi egisse arguit; de alterius aevo nihil pronuntiandum.

Mora Legionis xxæ in Britannia.

EX praedictis sequitur, uti dixi, Legionem hanc xx^{am} ad quarti seculi quasi medium, (id est, a primo in *Britanniam* ingressu, praeter propter, annos ter centenos) in ea mansisse; quamdiu vero post incertum est.

ROMANI in *Britannia* regnare, ex quo *Roma* a Rege *Gothorum Alarico* capta fuit, [α] desiere: quod A. D. 410, Viris Clariss. [β] *Savilio*, [γ] *Lydiato*, [δ] *Armachano*,

(α) Bedæ *Ecclesiast. Hist. L. I. C. xi.*
(β) *Fasti Regum & Episcoporum Angliæ.*
(γ) *Emendatione Temporum p.* 236. (δ) *De Britannicarum Ecclesiarum primordiis, Cap. ix.*

no, fieri videtur: Postea vero *Britannos*, *Scotorum* & *Pictorum* incursionibus patentes, ab iis plurima perpessos, & auxilium implorantes, plus semel Legionibus suis iidem defendere. In *Notitia*, quae *Legionis sextae* meminit, ut & Praefectum Equitum, Numerorum, Alarum, Cohortium diversarum, hic sub Duce *Britanniarum* militantium, quum de *Legione Vicesima* nihil legamus, cum [63] *Pancirollo* sentiendum, eam tum temporis, (id est, Anno circiter 450,) alio forte translatam, aut in Cohortes, & Equites, fuisse transfusam.

Vicesimae Britannicae *Notitia nusquam meminit.*

BRITANNI a *Romanis* Artem Militarem, bonas Literas, Justitiam, & civilem Prudentiam, magis quam a *Germanis*, aut *Gallis* accepere: quam quidem opinionem adversus *Erasmum* strenue defendit *Joh. Twinus.* [64] *Quinimo*, ait, [65] *discite, totius* '*orbis terrarum Incolae*, Britanniam *no-* '*stram a solis* Graecis, *atque* Romanis, '*factam esse moribus cultiorem, bonis Lite-* '*ris instructiorem; aliarum vero Gentium* '*omnium appulsu barbariorem.* Ut autem a

Multum a Romanis,

(63) *Fol.* 1995, *Edit.* Graevian.

(64) *Vide* Joh. Twini, *De Rebus Albionicis*, *&c. Comment. Lond.* 1590. *p.* 132.

(65) *Pag.* 134.

a *Romanis* cultiorem reddi, ſic quidem magna ex parte ab hac *Legione* reddi, veriſimile eſt. Quod ſi minus ἀξιόπιστον, &c. temere dictum, quis exiſtimet, perpendat omnino velim, primum nobiliſſimi illius populi (*Romani* volo) mores & ingenium, Virtutes has ubique exercentis: Deinde militum in *Legione* numerum, † ſexies milleſimum, & eo amplius; quae exercitus in *Britannia Romani* pars fere tertia fuit: Poſtremo, Legionis hujus in *Britannia* moram annorum, uti dixi, 300. Suadet autem humanae vitae ratio, ſuadet communis rerum uſus, tantam annorum ſeriem, a tot hominum millibus, ſine Commerciis, ſine Nuptiis, ſine Familiaritate Conſuetudineque multa, ſine morum communicatione magna agi vix poſſe; imo quidem ne vix poſſe.

Multum, ab hac Legione, commodi Britanniae.

LEGIO, in qua militavit *J. Vitalis*, in ejus Cippo, *Romanorum* more, caelo inciſa eſt. Solebant illi, ex honore militiae, Legionum, Alarum, Cohortium, Centuriatuum, Turmarum, &c. ad quas pertinebant Tribuni, Seviri, Aquiliferi, Signiferi, Equitum & Fabrum Praefecti, Optiones;

Legionum, &c. Nomina militum Cippis inſculpi ſolita.

† Vegetius *de re militari Lib.* II, *Cap. vi.* Heſychius, *voce* Λεγεών.

tiones, medici, aliique in Legionibus officia gerentes, earum nomina Lapidibus (ut ex *Gruteri* Thesauro patet) inserere: qui quidem mos sub *Augusti* ævum, aut brevi post, videtur incepisse, & ad Imperii finem usque perdurasse. Eodem modo atque hodie Collegia, Aulæ, Ordines, Hospitia, &c. Sodalium Epitaphiis inseruntur.

Quando incepit, quousque perduravit, ille mos.

Sect. IV.

V. V.

UT in explicanda Inscriptione progrediar, Literarum [V. V.] post [XX] variantes sunt Lectiones: Etsi enim earum altera, communi, ut opinor, omnium consensu, significet *Victrix*; altera tamen doctissimorum utique virorum ingenia non parum exercuit, nec, quantum video, satis feliciter.

Tȣ [V. V.] *variantes sunt lectiones.*

DE illa notandum, hanc vocem *Victrix*, apud Latinos venerandam, sed & suavem, magnum aliquod cum dulcedine sonare. Ita passim in 1 Nummis *Venus Victrix*, *Minerva*

Literarum altera significat Victrix;

N

(1) *Vide Thes. Numismat. Auctore* Jac. Oiselio.

nerva Victrix, Roma Victrix: ita Legionum, 2 Marmore *Romano* insculptarum, tum sexta, tum vicesima; & (quod 3 Laterculo pridem agro *Eboracensi* invento patet) Nona etiam *Victrix* appellata est. Hoc etiam Vicesimae Legionis esse cognomen, uti diximus, ex 4 *Antonini Itinerario* & ex *Ptolemaeo* palam est.

Magnum aliquod, cum dulcedine, sonans:

DE literarum altera dicendum, quod alii legunt [*Valens, Victrix*;] ut Clarissimus 5 *Camdenus*, 6 *Burtonus*, 7 *Leighus*. *Camdenus* autem haesitanter, & dubie: nam Inscriptionem *Romanam* ad *Crowdundalewaith* in *Westmorelandia*, [V V] habentem, ita legit [*Valens, Victrix*, &c. *vel aliquid tale.*]

Altera, non Valens:

HUJUSCEMODI Lapidem offendit doctissimus, & de orbe literato meritissimus 8 *Galeus*; (nam

Toĩs

(2) Lipsii *Notas ad* Taciti *Hist. Lib.* 11.
(3) *Philos. Transactions, N.* 305.
(4) *Itinere* 11. (5) *In Cestria.*
(6) Burton's *Commentary on part of* Antoninus's *Itinerary, p.* 126.
(7) *History of Lancashire, Book* 3. *p.* 25.
(8) *In Commentariis ad Antonini Iter Britanniarum, p.* 51.

Τοῖς πᾶσι κοινόν ἐστι τοὐξαμαρτάνειν)
[*Haec*, inquit, *Legio* (de Coloniae *Divanae* Legione Viceſima Victrice, verba faciens) *in* Gruterianis *Inſcriptionibus ſic indigitatur*, *(quod aliqui volunt;)*

L·E G. XX. V. V.

Et in Saxo ſequenti plenius

PRAEF. LEG. XX. VALEN. VICTR.]

Et in margine legimus [*Huic Legioni* (ſcil. Viceſimae Valenti, Victrici) *a* Veſpaſiano *praepoſitus fuit* Julius Agricola :] Quae utique fundamento non ſatis firmo inniti, & ex opinione unius tantum *Viceſimae* dici videntur. Certe iſtarum Propoſitionum veritas nequaquam manifeſta; quum de hac noſtra *Legione*, eas intellegi oportere, non ſit neceſſe; dicam etiam intellegi non poſſe.

AUTOR Additamentorum ad *Camdeni Ceſtriam* legit [*Victrix*, *Valeria.*] Ego vero, pace tot doctorum & de Literaria Republica bene meritorum hominum, poſt 9 *Urſatum* alioſque, lego [*Valeriana*, *Victrix*;] Non Valeria; Sed Valeriana;

(9) *De Notis Romanorum*, p. 280.

Victrix;] *Dionis* & *Taciti* autoritate hac in re praecipue fretus: Ita enim [10] *Dio*

Dionis,

ΟΙ εἰκοστοὶ, οἱ καὶ Οὐαλερίειοι καὶ Νικήτορες ὠνομασμένοι, καὶ ἐν Βρεταννίᾳ τῇ ἄνω ὄντες, οὕστινας αὐτὸς, ἐμοὶ δοκεῖν, μετὰ τῶν τὴν τε τοῦ εἰκοστοῦ ἐπωνυμίαν ἐχόντων, καὶ ἐν τῇ Γερμανίᾳ [τῇ ἄνω] χειμαζόντων, εἰ καὶ τὰ μάλιστα μήθ' ὑφ' ἁπάντων Οὐαλερίειοι ἐπεκλήθησαν, μήτε νῦν ἔτι τῇ προσηγορίᾳ ταύτῃ χρῶνται, παραλαβὼν ἐτήρησε nimirum [Αὔγουστος.] id est,

VICESIMA Valeriana & Victrix, *in* Britannia *superiori versantes: quos, ut mihi videtur, (cum ea Legione, cui nomen est* Vicesimae, *ac hiberna in superiori sunt* Germania, *etsi plerumque non ab omnibus* Valeriana *dicta est, neque hodie id nomen retinet,) Ipse acceptos servavit* [Augustus.]

LOCUS hic ostendit, primum *Legionem* aliquam fuisse *Vicesimam*, cognomine *Valerianam* & *Victricem*; hoc enim vocabula volunt Οὐαλερίειοι καὶ Νικήτορες. Nam τὸ [Οὐαλερίειος] verti oportere [*Valerianus*] ex eo liquet, quod, ut quae a *Dione* Κλαυδίειοι, a *Tacito* iterum iterumque dicta est [a] *Claudiana Legio*; sic quae plus semel a *Dione* [10] Οὐαλερίειοι, a me (ut opinor) optime

Et Taciti Autoritate.

(10) *Lib.* 55.
(a) Taciti *Histor. Libb.* 2 & 3.

optime reddi poteſt *Legio Valeriana:* praecipue cum hujuſmodi Adjectivis, deſinentibus in *anus*, vox *Legio* gaudere videatur, & ea ſibi ſæpiſſime adjuncta habeat. Sic enim apud *Cæſarem* [*Legionis* (γ) *Fabianæ,*] & [*Fabianis Legionibus,*] & [*Veteranæ* (δ) *Legionis:*] Apud *Hirtium* [*Legiones* (ε) *Julianæ;*] alibique [*Quarta* (Legio) (ζ) *Afraniana,*] & de [*Legione* ſecunda (ζ) *Pompeiana.*] In Lapide *Meſſanenſi* [LEG. (η) DEIOTARIANÆ.] Apud *Tacitum* [*Vitellianarum* (θ) *Legionum;*] ſicut etiam [(ι) *Hiſpana;*] iterum vero iterumque [*Legio* (κ) *Galbiana.*] Apud *Ptolemæum* (λ) [Τεγïανὴ Λεγίων.] Apud *Vegetium* [*Martiobarbulos,* (qui duae Legiones erant) *Jovianos* (μ) *atque Herculianos;*] a *Zoſimo* Ιοβιανοὶ καὶ Ερκουλιανοί nominatos. Apud *Vopiſcum* [*Legionem ſextam* (ν) *Gallicanam*] legimus. Porro Inſcriptiones, ab *Urſato* citatae, (ο) LEG. ANTO-

Legio *gaudet Adjectivis deſinentibus in* anus,

(γ) *De Bello Civili, Lib.* I.

(δ) *De Bello Civili, Lib.* III. Hirtium *de Bello Alexandrino.* (ε) *De Bello Africano.*

(ζ) *De Bello Hiſpanienſi.* (η) M. Velſeri *Monumenta peregrina Norimberg.* 1682. *fol. p.* 427.

(θ) Taciti *Hiſt. L.* II. (ι) *Lib.* I.

(κ) *Lib.* II. *Cap.* 86: III; 7, 10.

(λ) *Geograph. L.* 2. *Cap.* 9. (μ) *De re militari, L.* I. *Cap.* 17. *Lib.* III. (ν) *In Vita Aureliani.* (ο) *De Notis Romanorum.*

(π) ANTONIANÆ, (ϱ) SEVERIANÆ, (σ) GORDIANÆ meminerunt.

Minime Valeria.

CONTRA vero tametsi *Gens Claudia*, *Gens Flavia*, sicut etiam *Lex Pompeia*, *Lex Julia*, *Lex Valeria* dici consueverat; non ita crebro dicitur, apud idoneos Autores, *Legio Claudia*, *Legio Flavia*, *Legio Pompeia*, *Legio Julia*, vel *Legio Valeria*: imo quamvis saepissime *Lex Valeria* reperiatur, ne semel quidem apud eos, qui Latinitatem fide conservarunt, nobisque tradiderunt, *Legionem Valeriam* me legisse memini: quae ad confirmandam hancce versionem, uti spero, sufficient.

Nulla unquam in Britannia Legio

DEINDE, locus iste *Dionis* ostendit, Vicesimam illam Legionem, *Alexandri Severi* tempore, quo ea scripsit Historicus, in *Britannia* stationem habuisse: ex altera vero parte, quamvis ex *Lapide Parmensi* & *Inscriptione Gruteriana* [11] supra memoratis, sit in confesso, *Vicesimam* aliquam fuisse dictam *Valentem Victricem*; nullo tamen, quod sciam, testimonio patet, *Legionem* ita dictam hanc ad Insulam unquam advenisse;

(π) *Vide* Robertellum *de Legionibus Romanis. Roman. Antiquit. Vol. x. p.* 1472.

(ϱ) *Analecta* Lipsii *ad Militiam Roman. Edit. Vesal.* 1675. *p.* 423. (11) *Sectione praecedenti.*

nisse; nullo patet, ullam unquam *Vicesimam* hic agentem *Valentis* & *Victricis* cognomen habuisse. Unus ille *Dionis* locus amplissimo mihi testimonio est; & ceteris, quae de hoc argumento contra proferuntur, omnibus, vi & momento longe gravior, Lectioni Inscriptionis isti *Julianae*, nempe [*Legionis Valerianae Victricis*] fidem, ut existimo, abunde praestat.

Cognomine Valens.

PORRO obiter notare licet, etiam ex hoc e *Dione* excerpto id constare, quod supra posuimus, nempe non unam modo fuisse *Vicesimam*. Affirmat *Dio Vicesimam*, *a nostra Valeriana aliam*, jam tunc in *Germania* hibernare, neque *Valerianam* ab omnibus appellari. Utrum illa Legio sit, quae in *Parmensi* & *Gruteriana* Inscriptionibus, *Valentis* nomine insignitur, annon, doctioribus, & magis otiosis, relinquam investigandum.

Probantur ex Dione *Vicesimae duae.*

UT de ratione Epithetorum *Valerianae* & *Victricis* examinemus, propter quam adjiciantur illa Legioni huic vicesimae; prius illud, inquirendum, an duci posset a *C. Valerio Flacco*, qui cum *M. Herennio* Cos. fuit, Anno U. C. (secundum *Fastos Capitolinos*) DCLX, in *C. Marii* locum suffectus; quique Legis, qua creditoribus quadrantem solvi jusserat, auctor fuit.

Quare hæc vicesima dicatur Valeriana:

Certe

Forsan a Valerio Flacco.

Certe ille *Valerius* imperavit [12] Legionibus, quæ in *Sallustii* Fragmento, quod a *Prisciano* [13] servatum, ab Imperatore dicuntur *Valerianae*. Post occisum *Valerium*, sub *Flavio* [12] *Fimbria*, qui exercitum occupavit; eoque seipsum interimente, sub [12] *Lucullo*; tum sub *Pompeio* [12] in *Asia* meruere. Tandem ad *Antonium*, qui post *Pompeium* in *Asia* late imperavit, eas devenire, non est sine ratione * sentiendum; ut & ex iis fuisse xiii Legionibus, quas *Antonius*, *Armeniam* ingressus, contra *Parthos* [14] duxisse traditur. *Octavius* Legionum *Antonianarum* est potitus; de quo militiam *Romanam* ordinante, Legionemque XXam servante, supra ex *Dione* dictum. Itaque Legionem hanc nostram *Antonii* fuisse XXam, & e Legionibus *Valerianis* unam, non est ἐξ ἀδυνάτων ἕν: quatenus vero probabile sit, propter harum rerum naturam, multa caligine obductam, & dubiis involutam, nequaquam oportebit δογματίζειν.

---

(12) Plutarchus *in Lucullo.* Velleius Paterculus, *Lib.* 11. *Cap.* 24.

(13) Priscianus, *Lib.* 18.

(14) Velleius Paterculus, *Lib.* 11. *Cap.* 82.

* *Supra*, *Pag.* 24.

A

A Fimbria dicti aliquando fuere [12] Φιμϐριανοὶ, tametsi tunc temporis sub *Lucullo* militantes: quo eorum nomine demum intercidente, [*Valeriana*] vero iterum usurpato factum est, ut a *Valerio Flacco*, tanquam eos initio diligente & in Legiones conscribente, nomen acceptum, adhiberi denuo retinerique videatur: praecipue quando ante eum, de isto sive Legionum harum cognomine, sive ipsis Legionibus, nihil uspiam, quod sciam, memoriae tradatur. Enimvero Legiones *Antonii* nonnullas diu post illum exstitisse certissimum est: de illius *Tertianis* res est evidentissima. Interfuere illi, narrante [15] Tacito, *Flavianorum* cum *Vitellianis* ad *Cremonam* proelio: ubi *Antonius Primus* increpans eos acerrime, veterum ab iis gestorum admonuit, [*Ut sub M. Antonio Parthos pepulissent.*] Proelium hoc, a *M. Antonio*, lapsis supra centum tribus aut quatuor annis, pugnatum est: nec quid *Antonii* sive hanc *Tertiam*, sive nostram *vicesimam* Legionem (militum aliis abeuntibus, succedentibus semper aliis) multa posthaec secula continuari vetet intellego. Sed & trahi

Hoc confirmatur.

Legio Tertia Antoniana,

Contra Vitellianos *dimicavit.*

O forte

(12) Plutarchus *loco jam citato.*
(15) *Hist. Lib.* III. *Cap.* 24.

Forsan a Valerio Messalla.

forte potest nominis hujusce ratio, a *M. Valerio Messalla, Claudii* Consobrino, cujus filiam *Valeriam Messallinam* in matrimonium duxit 16 Imperator, ex eaque filium habuit; quem uti *Britannicum* ille, ita quoque Legionem hanc in *Britannia* merentem, Uxoris, Soceri Consobrinique *Valeriorum* gratia, forsan ab iis *Valerianam*, appellari jussit.

XXa *Legio post* Augustum *multiplicata.*

ITA plures fuisse Legiones *Vicesimas*, plures similiter *Valerianas*, in propatulo est: Sed [*omnes Valerianas fuisse Vicesimas*,] vel e diverso [*Vicesimas omnes fuisse Valerianas*] minime concludendum est. Videtur utique *Valerianarum* numerus, ante formatum ab *Augusto* Exercitum, nomine tenus, ad unum redigi, & sub illius imperio,17 posteaque, *Vicesimam* multiplicari. Quo primum tempore, & qua de causa, hæc Vicesima diceretur *Victrix*, non est sine dubio. *Fimbriani*, quorum (uti dixi) ea Legio pars existimari potest, a 18 *Plutarcho*, qui eorum cum malos mores,

---

(16) Ursinus, *in Familiarum* Romanarum Valeria. Suetonius *in* Claudio, *Cap.* xxvi, *cum Doctiss.* Pitisci *Notis.*

(17) Dio, *Lib.* 55.

(18) *In* Lucullo.

res, cum virtutes expoſuit, dicuntur Αὐθάδεις μὲν ἄνθρωποι, καὶ παράνομοι, μάχιμοι δὲ καὶ τλήμονες μετ' ἐμπειρίας πολέμου. A *Ptolemaeo*[19], ut iſtam rem video, omnium primo, ſunt appellati Νικήτορες. Utrum vero ob praeclare acta, in proelio cum *Boadicia* ſtrenuiſſime pugnato, & vindicatas eo die *Romanas* Aquilas; an ob victos *Silures*, *Cangos*, *&* *Brigantes*; an (quod *Ptolemaei* aevo propius accedit) ob ea, quae in *Caledonia*, ſub *Julio Agricola* Propraetore, adverſus *Galgacum* egere, in medio relinquam.

Quare diceretur Victrix.

UTUT haec ſint, Viceſima noſtra Legio *Valeriana*, e pluribus viceſimis una, & a *Valente* diſtincta eſt habenda. Sic, ob *Julium Vitalem* viceſimanum, Legionem hanc viceſimam, non ſine aliqua probationis ſpecie, a *Valerio Flacco*, modo ſub eo, modo ſub *Fimbria*, modo ſub *Lucullo*, modo ſub *Pompeio* militantem; at clarius evidentiuſque ab *Antonio*, nunc in *Aſia*, nunc apud *Rhenum*, nunc in *Britannia*, modo ſub *Antonio*, modo ſub *Auguſto*, modo ſub *Tiberio*, modo ſub *Germanico*,

A xxa Valente. *omnino diſtinguenda.*

Quot annorum hæc Legio.

O 2 modo

(19) *Geograph. Lib.* 1. *Cap.* 3.

modo ſub *Plautio*, modo ſub *Paulino*, modo ſub *Agricola*, ducibus certe praeclaris, arma gerentem, ad A. D. CCCXLIV; id eſt, a *Flacco* CCCCXXXVI; ab *Antonio*, CCCLXXIV circiter annos, calculo (quod ita eſſe confido) probabili deduximus: quod de ulla alia Legione, haud ſcio, tam probabiliter an duci poſſit.

SECT. V.

STIPENDIORVM. IX.

Annua Militis Salaria pro Annis Militiæ.

PONUNTUR annua militis *Salaria*, ſive *Stipendia*, pro annis Militiae: ut [*Stipendiorum novem*] idem ſignificet, atque noſtro Idiomate [*One, who ſerv'd nine Years in the Army.*] Quae loquendi formula ſaepiſſime reperitur: Ita enim 1 *Vegetius*, [*Si pluribus ſtipendiis moretur in Caſtris:*] Ita 2 *Servius*, [*Nec diſcedebant niſi completis ſtipendiis, id eſt, militiae temporibus.*] Ita 3 *Plinius* de *Sergio*, [*Stipendiis*

---

(1) *Lib.* 1. *Cap.* 7. (2) *Ad Æneidos, Lib.* 8. *initio.* (3) *Nat. Hiſt. Lib.* VII. *Cap.* 29.

diis duobus ter & vicies vulneratus eſt :] Ita *Tacitus*, *Livius*, *Plautus :* Ita paſſim Juriſconſulti, & Inſcriptiones. Unde [*Stipendioſus*,] loco ſuo 4 *Vegetiano* a Doctiſſimo *Stewechio* reſtituta vox, idem ei, aliiſque Linguae Latinae ſcientibus, ſignificare videtur, (quando Adjectiva, quae exeunt in *oſus*, plerumque denotent abundantiam) atque [*Veteranus*.]

Stipendioſus eſt Veteranus.

SECT. VI.

ANNOR. XXIX.

DE Conſonantium NN colligatarum nota, nonnihil obſervandum. Tam a ſe longe removentur extremae, hujus Notae Lineae parallelae, ut mediam etiam aliquando fuiſſe, quantumvis hodie fugientem, (ne dicam minime cernendam) nullus ſuperſit dubitandi locus. Linea Notae hujus poſtrema paulo erectior, ita caſu fieret, an ſtudio, dubitari poteſt.

Literarum N N colligatarum Notae.

Caſu fieri lubens ſentirem, ſi non N̈ in *Lon-*

---

(4) *Lib.* 1. *Cap.* 18.

Longinorum Altari, (de quo ſupra) & Inſcriptione Clariſſ. *Liſteri* cura in æs inciſa, & Actis 1 Philoſophicis edita, alibique in *Æmiliani Salviani* apud *Ottadunos* 2 Inſcriptione M(I) reperiſſem: ut interpoſita (ſic, ut in FABRICIESIS) vocali i, legi poſſe videatur molliuſcule ANNIORUM: ſed haec ςοχαςικῶς, nihil enim ſtatuo.

Ultima Notæ linea paulo erectior.

Quo ætatis Anno, militiæ nomen dedit J. V.

EX Annorum & Stipendiorum numeris apparet, *Julium Vitalem* anno aetatis viceſimo militiae nomen dediſſe, quod a *Romanis* uſitate ſeptimo ſupra decimum; aliquando factum, anno ſupra decimum quinto. *Hadrianus*, ſcribente *Spartiano*, [*quinto ſupra decimum* (aetatis) *anno ad patriam rediit, ac ſtatim militiam iniit.*] Hujuſmodi Inſcriptionem eſſe tradit 3 *Stewechius.*

Hoc interdum anno factum quinto ſupra decimum.

MILITAVIT AN. X.
VIXIT. ANN. XXV.

IMO quidem Inſcriptio 4 *Marci Valerii*, hoc ipſo ſepulcreto eruta, annorum eum

(1) N°. 155.
(2) *Cl.* Camdeni *Britannia.*
(3) *Notis ad Vegetii, Lib.* 1. *Cap.* VII.
(4) *Actis Philoſoph.* N°. 155.

eum XXV, ſtipendiorum XX, id eſt, anno aetatis quinto proficiſci eum in militiae diſciplinam aſſerit: ſed in numero annorum τὸ X videtur omitti; quo ſuppleto annus ad XXXV aſſurgit.

NOBISCUM haud ita pridem, *Iſcae*, miles fuit, Pueritiam vix egreſſus, certe delicatulus, ſed & bello peridoneus; omnes etenim ejus difficultates, atque adeo ipſam mortem obire paratiſſimus, ſprevit, deſpexit, proque nihilo putavit: ut *Martis*, ex *Venere*, Filiolum crederes hunc *Neoptolemum*. Centuriam in armis tractandis, in ſervando ordine & intervallo, (ne quos ſinus illa, ne quas habeat curvaturas;) nunc dextrorſum, nunc ſiniſtrorſum corpora verſando; in agmine laxando, conglobandoque; in acie primo ſimplici formanda, deinde duplicanda, aliiſque Τάξεως legibus, *Optio* tam expedite, tam perite exercitavit, ut e Senioribus vix quiſquam magis; ut ab Adoleſcentulo, Seniores inſtruerentur. Favit utique bellatulo ſuo *Britannorum Mars*, *Belatucadrus*: Parcae non pepercere. Febre enim caſtrenſi paulo poſt correptus ille, ſuorum deliciae, peremtus eſt; Neoptolemus Exonienſis.

——*Veluti ſucciſus aratro*
Flos tener.

RO-

ROMANI Numeros, ut in hac Inſcriptione, per Literas ſignificabant: ſed an ſemper ita fecerunt, eſt in dubio. In Syntagmate *Reyneſiano*, Claſſis primae Inſcriptio CCLXXIX, Notas habet *Arithmeticas* [2020;] & in veteri Nummo, inter *Panormitanos* relato, in *Sicilia Parutae* (de quo vir Excellentiſs: 5 *Ezech. Spanhemius*, magno Reipub. literariae detrimento, dudum mortuus) leguntur [1779.] Neuter Autorum, ut ut doctiſſimorum, Notas a ſe exhibitas, quod dolendum, explicavit. Si vero genuinae ſint; *Arabicae*, quales a 6 viris doctis paſſim agnoſcuntur, origine minime videntur eſſe; ſed e contrario, *Iſ.* 7 *Voſſii*, Notas ſive *Cifras* haſce, *Romanas* eſſe ſtatuentis, ſententiam confirmare.

Cifrae Arithmeticae an origine Romanae.

SECT.

(5) *De præſtantia & uſu Numiſmat. Diſſ. quarta.*

(6) *Vide Epiſtolam* Clariſſ. Walliſii, *Actorum Philoſophicorum*, N°. 154.

(7) *Obſervationes ad Melæ, Lib.* 1. *Cap.* XII.

SECT. VII.
NATIONE.

PRIMA hic Vocalis ſine Linea tranſverſa fit, itaque viris eruditione claris [1] *Bouteravio* & *Camdeno*, ex antiquorum more, interdum initio fieri videtur: ſed, ut *Camdenus* opinatur, non niſi poſt *Severi* aetatem. [*Obſervavi*, [2] ait, *a* Severi *aetate ad* Gordianum, *&* *poſtea*, *Literam* A *ubique in hac Inſula, in omnibus ejus ſeculi Inſcriptionibus, tranſverſam lineolam non habere: ſed ſic* Λ *notari.*] Quo utique dato, licebit hinc concludere, *Vitalis* Inſcriptionem non eſſe *Severi* aetate vetuſtiorem.

Prima Vocalis interdum ſine Linea tranſverſa.

Haec Inſcriptio Severi *aetate non vetuſtior.*

MILITES undique delecti, nationibus apte diſtinguuntur, & quidem in Epitaphiis praecipue; quo ſepultis, ita quaſi digito monſtratis, honos ab amicis haberi poſſet.

Milites nationibus apte diſtinguuntur.

P SECT.

(1) *Tab.* IV. *ad Camdeni Britanniam.*
(2) *In Weſtmoreland.*

SECT. VIII.

BELGA.

Dicendi formula. NATIONE *Belga* dicendi formula non inepta; *Natio* enim respicit patrium solum, sive in quo nascimur. [*Natio*, 1 Paulus inquit Diaconus, *Genus hominum, qui non aliunde venerunt, sed ibi nati sunt.*] Ita *Plinius*, 2 [*Sauran atque Batrachum, Natione ipsi Lacones*;] & de *Pamphilo* Pictore, [2 *Ipse Macedo Natione*:] Sic Inscriptiones 3 [*Natione Biturix*,] 4 [*Na-tione Frisò.*]

Belgae, *a Germanis orti*, BELGAE a *Germanis* orti, (quod a *Rhemis* 5 *Caesari* narratum est) fluviumque *Rhenum*

---

(1) *Ad* Festum, *pag.* 328. *In Auctorum L. L. Corpore a D. Gotofredo ed.*

(2) *Nat. Hist. Lib.* 35, *Cap.* x. *Lib.* 36. *Cap.* v.

(3) *Syntagmatis* Reinesiani, *Class.* 17. *Inscript.* LXXIII.

(4) Lipsii *Commentarium ad Annalium Taciti*, *Lib.* xiii.

(5) *De Bello Gallico*, *Lib.* II, *initio.*

Rhenum antiquitus traducti, eam *Galliae* veteris partem, quae Oceanum inter, *Sequanam*, & *Rhenum* interjacet, expulsis incolis, occupabant, eique *Belgii* nomen adsciscebant. *Primo* Galliam *invadunt;*

HORUM postea nonnulli, praedae, ita videtur, inhiantes, ejusque gratia bellum inferentes, tanquam examine facto, e *Belgio* in *Britanniam* transire, belloque illato hic *in maritima ejus parte remanere, atque agros colere* 6 traduntur. *Deinde* Britanniam;

QUO vero tempore huc commigraverint, ob defectum monumentorum, minime liquet: forte sub *Diviatico* Rege (quae Cl. *Camdeni* α conjectura est) quando ille, *Suessonum*, atque adeo totius *Galliae* Rex potentissimus, paulo ante *Caesaris* in *Galliam* adventum, cum magnae partis istarum regionum, tum etiam *Britanniae* imperium obtinuisse dicitur. Hoc a *Julio Caesare* 6 confirmatum, eos nempe, qui ex *Belgio* transierunt in *Britanniam*, fere omnes, iis nominibus Civitatum appellari, quibus orti ex Civitatibus, eo pervenerunt: itaque Civitatum in *Gallia* priscarum, *Sub* Diviatico *Rege.*

P 2

(α) *Prooemio ad Com.* Somerst.
(6) *De Bello Gallico, Lib.* V.

rum, & patriarum, in *Britannia* novis imponere nomina.

Clausenti *sinu descendunt e navibus.* BELGAS ad *Clausenti* sinum, (*the Bay of Southampton*) aut Litus ei proximum orientem versus, appulsos, e navibus in arenam descendere, maritimamque ibi Regionem diu tenere, non est improbabile. Nam cum *Ventam* eos (spoliandi forsan ergo) adire, vel eam condidisse, quae deterior est opinio, certissimum sit; quae tandem ad eum locum adeuntibus via probabilior, quae patentior, quam per sinum modo dictum? quamve *maritimam in hac Insula regionem*, (ex *Caesaris* sententia) quam quae *Ventae* in propinquo, potius incolere crederentur?

Ventam *diripiunt*; ADEO *Ventam* eos, spe praedae faciendae, ejusque diripiendae ergo, adire verisimile est, ex ejus situ; distat enim a *Clausento*, tam *Antonini*, quam nostra Gromatice, decem milliaria, nec quidem ultra: unde factum est, quod Anno Domini DCCCLX, ab exercitu navali in terram exposito, fuit oppugnata; iterumque Anno MVI praedonibus maritimis infestata; quod ex *Chronico Saxonico* manifestum.

VENTAE jam subactae, auctae conditaeve, nomen *Belgarum*, ut ex *Antonini* Itine-

a Itinerario, & β *Ptolemaeo* patet, addiderunt: Anonymus *Ravennas* γ, litera B in V mutata, scribit *Ventavelgarum*: Unde porro eorum descensus hanc in oram arguitur, & a *Silurum* & *Icenorum Ventis* Civitas haec distinguitur.

Eique Belgarum nomen impertiunt.

AB ea longius in meditullium, *Durotriges* inter, & *Atrebatios* veteres in *Gallia* vicinos, se insinuantes, terrarum tractus, qui (ex primae & secundae *Britanniarum* illa, quae multis post seculis in Comitatus facta est, divisione) nominibus *Ham-shire*, *Wilt-shire*, & *Somerset-shire*, hodie insigniuntur, aut maximas earum partes, armis aggressi, subegere.

Ultra progrediantur.

COMITATUS hodie *Somersettensis* Urbs primaria [*Wells*] a nonnullis † *Belgae* nominata est.

Wells *a nonnullis* Belgae *appellata.*

MINIME vero audiendi sunt, qui *Bristoliam*, ab antiquo *Ventam* appellari *Belgarum* opinentur; quum illa Civitas, etiamsi nunc magnifica, Mercaturaeque beneficio opibus abundans, posterioris certe aevi est, non ante annum MLXXXVII orbi innotescens; & quidem nomine *Bricg-*

Non ita recte Bristolia.

(α) *Iter.* XII. & XV. (β) *Geograph. Lib.* I. *Cap.* 3. (γ) *Editione* Galeana.

† *Lexicon Car. Stephani Geographicum, a Nic. LLoydio auctum*, *voce* Belga.

[*Bricgstowe*] i. e. *Pontis Locus*, ut testatur *Chronicon Saxonicum:* non autem, (uti nonnullis visum fuit) *Bright-stowe.*

Cangi SCIO nonnullos, de *Belgarum* in *Britanniis* sede, aliter sentire; & 7 *Cangis* Agrum *Somersettensem*, cum *Wiltoniae* parte Septentrionali; 8 *Rhegnis* autem oram *Hantoniensis* agri maritimam attribuere: verum, ut hujus disputationis ne minutias secter, *etiamsi nihil habeam quod judicem*, nihilque ausim affirmare, quid mihi verisimile videatur lubens in medium feram, suis viribus, suo talo stare, vel decidere paratum.

Cornaviis *vicini*; DE *Cangis*, una cum iis, quae in Sectione praecedenti jam dicuntur, rem absolvere *videntur Inscriptiones*, numero viginti, totidem Laminis plumbeis legendae, seculo dudum elapso apud *Cornavios*, 9 inventae, quae sunt apud *Camdenum* hujusmodi.

IMP. DOMIT. AUG. GER. DE. CEANG.

id est, *Imperator Domitianus*, *Augustus*, *Germanicus*, *de Ceangis*, sive Cangis.

HAE

(7) *Vide Additiones ad* Camdeni *Somerset.*
(8) *Illius Hantshire.* (9) *Illius Cheshire.*

HAE ſunt teſtes incorruptae, integrae, certiſſimae, uno ore probantes, & *Cangos* iſtius eſſe Regionis, a *Belgio Britannico* longe disjunctos, & Imperante *Domitiano* vinci.

HOC a *Ptolemaeo* tam magnopere confirmatur, ut *Cangis* e contrario in *Belgii* viciniam admiſſis, celeberrimus ille Geographus ſibi vix conſtare cenſeatur. En illius verba, punctis, aliter quam in impreſſo Codice, verum ſic, ut oporteat, diſtincta. 10

Minime vero Belgis:

Τοῖς μὲν Ἀτρεβατίοις, καὶ τοῖς Καντίοις ὑπόκεινται Ῥῆγνοι, καὶ πόλις Νοιόμαγος. Τοῖς δὲ Δοβουνοῖς, Βέλγαι. Καὶ πόλεις Ἴσχαλις, Ὕδατα Θερμὰ, Οὔεντα. Τούτων δ' ἀπὸ δυσμῶν καὶ μεσημβρίας Δουρότριγες. Unde patet, primum, *Atrebatiis* & *Cantiis* ſubjacere *Rhegnos*; & quidem eodem modo *Dobunis* *Belgas*; id eſt, ita, ut iis vicini ſint proximi: hoc enim, vocabulum [ὑπόκεινται] tam hic, quam alibi in hoc Auctore, ſaepiſſime ſignificat. At cum *Dobunorum* Urbs eſſet *Corinium*,(*Cirenceſter*;) cumque Agros *Gloceſtrenſem* & *Oxonienſem* omnium, ut opinor, conſenſu, tenerent *Dobuni*, qui fieri poſſet, ut iis ὑπόκεινται, ſive proximi vicini eſſe poſſent *Belgae*, ſi hiſce populis (*Belgis* & *Dobunis*) interponerentur *Cangi*. De-

quod, ex Ptolemaeo, probatur.

(10) *Cap.* III.

Deinde, quoniam mos eſt *Ptolemaei* primum Populos, tum eorum Urbes recenſere; *Iſchalin* & *Aquas Solis*, non minus quam *Ventam*, *Belgarum* eſſe Urbes in propatulo eſt. Deinde, Καγκανῶν ἄκρον, id eſt, *Cancanorum*, (ſive *Cangorum*) promontorium, a *Ptolemaeo* 11 in *Gunethae* [*North Wales*] locis memorabilibus cenſetur. Poſtremo, ut de *Rhegnis* verbum ſuperaddam, obſervatu dignum eſt, a *Ptolemaeo*, in Nationum Regionibus aſſignandis, maximam partem accurato, *Rhegnos*, ut *Durotrigibus* conterminos, *non* exhiberi: contra, illum aſſerere [*verſus occaſum & auſtrum*, *poſt* Belgas, *eſſe* Durotriges.] Hoc autem dato, *Hantonienſis* Agri oram maritimam, aetate *Ptolomaei*, non a *Rhegnis*, ſed a *Belgis* occupari certiſſimum eſt; quando illi, & quidem uni, verſus occaſum ὑπόκειν) *Durotriges*. *Belgis* igitur, Regionibus mediterraneis a Clariſſ. *Camdeno* affixis, ora reſtituatur haec maritima; *Rhegnis* ad orientem actis, & ditione ſua contentis: quos (ſi unquam) non niſi *Belgarum* ante appulſum, ex jam dictis, eam tenuiſſe arbitror.

Poſt Belgas, *aetate* Ptolemaei, Durotriges.

BEL-

(11) *Lib.* I. *Cap.* III.

BELGAS maritimos, ſub auſpiciis Imp. *Claudii*, domuit, uti licet opinari, *Veſpaſianus.* Narrat enim 12 *Suetonius*, eum a *Claudio* miſſum in *Britanniam*, tricies cum hoſte pugnaſſe; *Vectam* Inſulam, quae huic Agro objacet, & duas validiſſimas Gentes, (quarum unam *Belgae* ſe videntur agnoſcere) in deditionem redegiſſe. Huic opinioni favet, quod a Doctiſſimo Viro 13 *Ed. Stillingfleet*, dudum Epiſcopo *Vigornienſi*, aliiſque traditum, *Romanos* a *Veſpaſiani* invaſione minime contra *Belgas*, ut adverſus *Silures*, *Icenos*, *Brigantes*, *Cangos*, aliaſque *Britanniae* nationes, etſi magis remotas, arma parare; tanquam ab illis, jam ſubactis domitiſque, ſecuros. Belgae *maritimi a* Veſpaſiano *domiti.*

QUID quod ipſa *Veſpaſiani* Caſtra, prope hanc oram, a ſe denuo reperiri, non ſine ratione putet, in detegendis antiquorum monumentis Vir cum primis ſagax, Cl. *Aubrejus*, Regiae Societatis Socius. [*Non procul*, ait, 14 *a Ciceſtria, viſuntur hodie Caſtra, nomine* [the Brill] *forma oblonga; lata duo ſtadia; longa, quatuor &* Veſpaſiani *Caſtra.*

Q *perticas*

(12) *In Veſpaſiano.*
(13) *Origines Britannicae, pag.* 31.
(14) Aubreii *Monumenta Britannica MS.*

perticas binas, cum munitione, Vallo nempe Fossaque legitima.] Pedum igitur area quadratorum est 3528360. Castrorum forma *Romanis* usitatissima, secundum *Hyginum* 15 (qui sub *Trajano* vixit) quadra fuit oblonga; quae a *Vegetio* 16 [*ceteris pulcrior;*] a 17 *Leone* Imp. ὄτακ]ϑ καὶ ἀναγκαῖα dicitur. Adeo patet, ab eorum forma, haec *Romana* fuisse Castra; *Vespasiani* vero fuisse, cum forma locus arguit, eique praequam aliis hujus Insulae quibuscunque *Romanis* summopere favet.

Taciti, & HISCE vero positis, de exercitus illius magnitudine, quo a *Suetonio* 18 [*toties secunda proelia fecisse, tot Opida, duasque Nationes validissimas subegisse*] dicitur *Vespasianus*, nonnihil eliciendum; eum nempe trium fuisse Legionum mixtis Auxiliis, atque adeo rebus tam praeclare actis parem. Adfuisse Auxilia patet ex † *Tacito*, [Divus Claudius, *auctor operis*, (in-

(15) *Antiquitatum Roman. a Cl. Graevio Edit. Vol.* X. *pag.* 1281.

(16) *De re Militari, Lib.* III. *Cap.* 8.

(17) *Constitutione* IX. *ut a Schelio citatur Notis in Hyginum: Rectius forsan alicubi in illius Imp. Libro περὶ Τακτικῶν.*

(18) *In Vespasiano.*

† *Vita Agricolae.*

(invadendi Britannias) *transvectis Legionibus* Auxiliisque, & *assumto in partem rerum* Vespasiano.]

CASTRA trium Legionum cum supplementis, id est Auxiliaribus, ad mentem *Hygini*, ab *Hermanno Schelio* 15 descripta, latitudinem habent pedum mille sexcentorum viginti; longitudo millia duo est, & trecenti decem; id est, Pedum quadratorum 3742200: Cujus areae, si cum *Vespasiani* Exercitus area comparetur, tantilla est differentia, (nimirum pedes quadrati 213840, qui militibus 2058 vix sufficient) ut ab ea ternus ille, quem dixi, Legionum cum Auxiliis, hoc in exercitu numerus abunde comprobetur. Suetonii *locus illustratur.*

Brevi rem complectar.

In *Hygini* Castris

	Pedes
Longitudo	2310
Latitudo	1620

Pedes quadrati

$2310 \times 1620 = 3742200$

In *Vespasiani* Castris

Exercitus Vespasianei *magnitudo.*

		Pedes
Long.	Stadia 4, Perticae 2	= 2673
Lat.	Stadia 2 ———	= 1320

Pedes quad.

$2673 \times 1320 = 3528360$

at $3742200 - 3528360 = 213840$.

Civium cum Auxiliis in Legione numerus 19 fuit 12000, in tribus Legionibus 36000; at

Ped. quad.	Milit.	P. q.	M.
3742200 :	36000 ::	213840 :	$2057\frac{534600}{3742200}$

Cogidunus *bis in Castris*

COGIDUNUM regio more vestitum, Satrapis stipatum, haec ad Castra venientem, Aquilas, Elephantos, Arma *Romana* mirantem, dexteram dexterae cum Imperatore jungentem, quasi per nebulam intueri videor. Erat ille unus e multis *Bri-*

(19) Vegetius *de re militari*, *Lib.* III. *Cap.* 1. *Sir* H. Savil's *View of certain militar Matters*, &c. Livius, *Lib.* XXIX. *Cap.* 24.

Britannorum Regibus; & cum in Bello *Romanis* impar esset, in eorum Societatem sive potius Clientelam accipi mallet, quam aperto Marte se suosque perdere. Non semper, & contra principes ubique omnes, a *Romanis* saevitum est. Alios clementer habuere, vinculis Amicitiae sibi devinxere, ut alios eorum opera subjugarent. Ita *Attalus*, *Eumenes*, *Prusias*, *Deiotarus*, *Herodes*, aliique nomine tantummodo Reges, sed revera *Romanis* subjecti. [*Quaedam Civitates* Cogiduno *regi donatae. Is ad nostram usque memoriam* (ait *Tacitus*) *fidissimus mansit, vetere ac jam pridem accepta populi* Romani *consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis & Reges.*] De eo, in *Ptolemaei* Ρηγνοῖς, tanquam eorum Rege, verba facit *Camdenus*; at Cl. *Galeus*, *Segontiacos* oram maritimam circa *Cicestriam* tenuisse, nullo sive Auctore sive Argumento in medium adducto, asserit. Utcunque ea res sit, neque enim meum est diversa haec componere, *Cogidunum* alicubi in australi hujus Insulae tractu, & (quod verisimile) non procul a *Vespasiani* in eam descensu regnantem, Imperatori se dedere, non est dubitandum; & quidem forsitan, his in Castris.

Imperatori forte se dedit.

BEL-

Belgarum reliquos ſubegere Romani:

BELGARUM reliquos etiam *Romani* ſubegere: quod ex *Viis* eorum publicis, & Numiſmatibus effoſſis eliciendum: Ex *Viis*, a *Calleva* ad *Vindomin*, [*Silcheſter*;] deinde recta [20] ad *Ventam Belgarum*, ad [20] *Clauſentum* [*South-hampton*,] ad [20] *Rhegnum* [*Ringwood*:] a *Venta* ad [20] *Brigen* [*Broughton*:] ad [20] *Sorbiodunum* [*Old Sarum*:] ad [20] *Vindogladiam* uſque [*Winborn*:] Item a *Vindomi* in Occidentem, ad [21] *Pamber*, ad [21] *Litchfield* (i. e. *Cadaverum Campum*) ad [21] Foreſtam de *Chute*: ab *Alresford*, ad [21] *Alton*: Nomina veteribus ignota, Locos *Romanis* notiſſimos: A *Calleva*, ad *Spinas* [20] (*Spene*;) ad *Verlucionem* [20], (*Weſtbury*;) ad *Aquas* [20] *Solis*; & ab iis, Septentrionem verſus, ad [20] *Abonem* [*Hanham*;] ad [20] *Trajectum*, [Oldbury:] Occaſum verſus, ad *Iſchalin*, [*Ilcheſter*,] ad *Iſcam*. Ex *Nummis Romanorum* Imperatorum aeneis, argenteis, aureis, [21] *Vindomi*, *Venta Belgarum*, *Clauſento*, *Verlucione*, *Aquis Solis*, *Iſchali*, aliiſque *Belgii* noſtri *Britannici* locis quamplurimis, aetate noſtra ſuperiorique, [21] inventis:

Quod ex Romanorum *Viis*, & *Numiſmatibus patet.*

---

(20) *Tabulam Britanniae Romanae* Galeanam.
(21) Camdeni *Hantſhire*.

ventis: Ut illius nulla fere pars non ſit, quae veſtigia *Romanorum* manifeſtiſſima non oſtendat.

HI noſtri *Belgae*, quoniam *Aquis* erant *Palladiis* omnium proxime vicini notiſſimique, & *Julius Vitalis* ſimpliciter & ſine adjectione [*Belga*] nominatur, ex iis illum fuiſſe adducor opinari. Vitalis Britanno-Belga,

J. VITALIS, natione *Belga*, *Romanae* ſe dat Militiae, non tanquam Auxiliaris, & qui *Romanis* adjumento eſſet alienigena; ſed Legionarius. In vulgus notum eſt, Legionarios omnes fuiſſe Cives, itaque interdum [22] appellari. Si quem moveat, quod *Julius Vitalis*, *Britanno-Belga*, Legionem e *Romanis* vnam, quae nullos niſi Cives *Romanos* accipere ſolebant, inire traderetur; nequaquam iſthuc admiratione dignum. Perpendat omnino velim, *Civis Romani* ſignificationem, modo ſtrictam, modo latam. *Jus Civitatis* primum aliquot in *Italia* Municipiis; deinde, toti *Latio*; mox, univerſae *Italiae*; tum extra *Italiam* privatis quibuſdum hominibus, ut & Opidis, & Provinciis; deinde Ur- *Legionarius,* *Civis Romanus.* Civis Romani *ſignificatio varia.*

(22) Taciti *Annal. Lib.* 13. Plinii *Nat. Hiſt. Lib.* 33. *Cap.* 2.

Urbium extremarum Imperii primoribus, sive Praefectis Limitaneis (sed iis alia aliaque ratione) concessum est. Tum *Antonini* Constitutione, omnibus in orbe Ingenuis; uti tria deinde post circiter annorum secula, omnibus quacunque conditione manumissis seu Libertis.

Nobilissima Antonini *Constitutio,*

NOBILISSIMA isthaec Constitutio, ad cognoscendam Civitatis *Romanae* amplitudinem; quanta nempe fuerit, ab A. D. 212, tercentenos inde praeter propter annos, adprime necessaria, *Leg.* xvii. *D. de Statu Hominis*, sic refertur; [*In Orbe* Romano (inquit *Ulpianus*) *qui sunt, ex Constitutione Imperatoris* Antonini, *Cives* Romani *effecti sunt.*] Qui varias hujus Constitutionis sortes, ut *Ulpiani* excerpto, in Jus *Justinianeum* relato, (tanquam e tempestate fragmento Navis) servatae; ut Librariorum incuria, per aliquot secula deperditae; ut ex *Hetrusco* Codice, ab *Alciato* feliciter restitutae; ut a *Dione Cocceiano* confirmatae; ut a *Romanarum* Legum Interpretibus, ab eo tempore acceptae; qui, inquam, illius sortes intueri velit, adeat Excellentissimi *Ez. Spanhemii* [*Orbem* 23 *Romanum*] opus utique Doctissimum,

ab Alciato *restituta,*

(23) *Londini impressum. A. D.* MDCCIII.

ſimum, Auctori tanto par; qui, ut de variis Limitibus illius *Orbis*, ita de hac Conſtitutione luculenter ſcripſit, & trium *Antoninorum* ultimo, *Caracallae*, [24] tanquam ejus Auctori latorique, ſecundum *Salmaſium*, eam vindicavit, ejuſque ferendae occaſionem [25] expoſuit.

Caracallae *vindicata.*

AB hac Conſtitutione in *Orbe Romano* mira quanta mutatio, quanta facta eſt amplificatio: Ut dicam e multis unam, *Britanniarum* Incolae, ſive advenae ſive indigenae, quotquot eo tempore *Romano* ſubjicerentur Imperio, non amplius *Peregrini*, ſed tanquam unius Urbis cives, tanquam eadem, cum reliquo populo *Romano*, Matre prognati, habebantur *Ingenui*, & nonnunquam appellabantur *Romani*. [*Quiſnam*, ait D. Auguſtinus, [26] *non cognoſcit, Gentes ſubjectas Imperio* Romano, *quae quidem erant, quando omnes* Romani *facti ſunt, & omnes* Romani *dicuntur*.]

Britanniarum *Incolae* Romani *aliquando dicti.*

AB ea Conſtitutione Jus honorum *Romae* adipiſcendorum, omnibus in Orbe *Romano*, utut aucto amplificatoque, datum

Militia Romana *fit denique provincialis;*

 eſt;

(24) *Pag.* 195. (25) *Pag.* 205.

(26) *In Pſalm.* LVIII. *Part.* 1. Prudentius *contra Symmachum* LIV. *v.* 601. *& deinceps.*

eſt; Legiones olim a *Romanis* tantum civibus, e provincialibus dein (ut ὁ πάνυ, jam nunc laudatus) utplurimum dilectae. Eum in modum, poſthabitis Civibus, crevit *Militia Provincialis*, ut Reſpublica multum inde caperet detrimenti, & demum ab ea *Romanum* everteretur Imperium. Adeo *Vitali*, *Britanno-Belgae*, poſt latam hancce Conſtitutionem, Legionem *Romanam* ineunti via patuit apertiſſima.

qua everſum Imperium.

ANTEQUAM Sectionem hanc dimittam, inquirere non pigebit, Utrum *Veſpaſianus* uti *Belgas*, ita ſub jugum etiam *Romanum* miſit *Dunmonios*. Hoc ita eſſe, Vir Reverendus & cum primis Doctus lectori ſuggerere videtur 27: *Suetonio* enim, de *Veſpaſiano* verba faciente, hunc in modum ab eo *Anglice* verſo, [*of whom* (i. e. Veſpaſian) Suetonius *ſaith*, *That he conquer'd here two powerful Nations, above twenty Towns, and the Iſle of* Wight;] deinde addit Vir Clariſſimus [*By which we find, his Employment was Weſtward, and the*

Utrum Veſpaſianus *ſubegit* Dunmonios?

(27) Origines Britannicae, *London*, 1685. *pag.* 31.

the Belgae *and* Danmonii *were the two powerful Nations that way.*] Unde manifestum est, *Dunmonios*, in numero Gentium a *Vespasiano* devictarum, illum innuisse & poni voluisse; qua vero probabilitate paucis expendam.

VESPASIANUM una cum exercitu & Classe, Litus appelli *Dunmonianum*, quod a *Galfredo* 28 *Monumetensi* traditum, & a *Pontico* 29 *Virunnio* totidem fere verbis affirmatum, in illius Fabulis est habendum; utpote nullo, quantum patet, argumento fide digno suffultum. Verisimilius esse judico, ex subacta *Vecte* Insula, 30 prope eam in arenam illum descendere *Britannicam*, & duas non procul ab eo loco Nationes in deditionem redigere. Harum unam esse *Belgas* lubens assentio; alteram, ob vicinitatem, existimo vel *Segontiacos* esse, vel *Bibrocos*, vel *Atrebates*, aut *Dobunos*, aut *Durotriges*, potius quam *Dunmonios*, qui illis omnibus remotiores, ideo difficilius non modo invadi subigique, sed ne adiri poterant.

Negatur, 1° ob distantiam.

(28) *Galfr. Monumetensis Hist. Reg. Brit. Lib.* IV. *Cap.* 16.
(29) *Britan. Hist. Lib. 4to.*
(30) Suetonium *in Vespasiano*, *Cap.* IV.

Romani, *quousque patuit, Imperii Notae;*

RHEGNOS a *Romanis* tanquam Socios haberi, nunquam eorum Arma Saevitiamque perpeti, nunquam ab iis evictos ſubjici, contendit idem 31 vir Clariſſimus; quoniam in eorum Terra (*Surrey*, & *Suſſex* hodie nuncupata) rariora, quam alibi per *Britanniam*, *Romanorum* Monumenta reperiantur. [*Terras enim a* Romanis *habitatas omnes* (inquit ille) *oſtendunt eorum Viae, AEdificia, Nummi, Urnae, Inſcriptiones.*] Videamus, ut haec cum *Dunmoniis* conveniant.

Dunmonio *applicatae, tam Occidentali,*

DE *Dunmonio occidentali* (ſive *Cornwallia*) notatu dignum eſt, quod idoneus Auctor *Rich. Carew*, qui res *Cornubienſes* ſcripto illuſtravit, 32 aſſerat; nimirum [*Vias Militares non a Romanis eatenus produci.*] Urnam equidem unam, cum Cineribus incluſis, Arca Lapidea contentam ob Agricolis effodi, ſe inaudiviſſe; & Nummum ex aere *Domitianeum* in Fodina inventam, ſe poſſidere narrat. Quae vero haec ad *Veſpaſianum*, & in aſſerendis hac in Regione Victoriis, ab eo praeſtitis, quantilli ponderis? Parvi profecto eſt Urna

(31) *Origines Britannicae, pag.* 63.
(32) Carew's *Survey of* Cornwall, *pag.* 53.

Urna solitaria, praesertim ignorato illius aevo. Poterat vel *Romani* alicujus fugitivi esse; poterat *Britanni*, *Romanam* affectantis sepulturam. Sed neque plurimi faciendum Numisma, quod & solitarium, & *Vespasiani* proeliis in *Britannia* longe recentius; omnique procul dubio a Fossore quodam advectum, ibi fuit deperditum.

UT a *Caraeo* ad *Camdenum* transeam (virum utique gravem, & in *Britanniae* ruspandis Antiquitatibus certe diligentissimum) nihil ab eo, ut nec ab ejus Amplificatore, de *Cornubia* scriptum invenio, quod *Romanos* Flumen *Tamaram* transiisse comprobet. De Clarissimis *Burtono* & *Galeo*, *Antonini* Itinerum, qua *Britannicorum*, illustratoribus, idem dicendum. Nam quod a *Burtono*, de Via *Romanorum* militari, in *Cornubia* initium capiente, & per *Devoniam* in Comitatum *Somerset* deducto, 33 literis mandatum, initium illud *Totonesii* fuisse intellegendum est; quod olim (antequam ab *Ethelstano* *Cornubienses* trans *Tamaram* arcerentur) *Cornubiae*, ad Fluvium *Dert* tum temporis extensae, pars fuit; unde pagina praecedenti dicitur [*Totness* in *Cornwall.*]

(quod olim ad Fluvium Dert *extensum,)*

HOC

(33) *Commentary: Pag.* 95.

HOC autem, [viz. a *Romanis Cornubiam* non multum agitari] vero similius iis videbitur, qui secum cogitant, Forestam olim totam fuisse *Cornubiam*, eamque primum *Johannem Angliae* Regem, Anno circiter 1204, (ut Legis nostrae municipalis utar Vocabulo) *Deforestasse* 34.

quam Orientali.

IN *Dunmonio orientali* (sive *Devonia*) Via quidem Militaris est *Durnovaria*, & *Mariduno*, aliaque ab *Ischali* ad *Iscam* nostram pertinens. Numismata etiam aurea duo, (quorum unum *Neronis*, alterum *Theodosii*;) Argentea *Severi*, aliorumque Impp. aliquot; AErea vero permulta reperiri 35 legimus; sed ut nulla *Romanorum* AEdificia, nullae Inscriptiones, nullae (quantum scio) Urnae apud *Devoniam*; ita quidem nulla omnino Via, nulla Numismata, *quae scilicet aevum agnoscant* Claudianum, *aut* Vespasianum *hanc domuisse Nationem* (Dunmoniam) *ulla ex parte arguant*, inveniuntur.

2° Ob defectum Monumentorum.

Isca Dunmoniorum

HOC a Cl. *Camdeno* 36 confirmatum, qui de *Isca* hac a *Vespasiano* expugnata (quod

(34) *Vide* Camdeni *Cornubiam, & ad eam secundi Alphabeti Literam* f.

(35) *In Additionibus ad Devoniam.*

(36) *In Devonia.*

Tab. VIII.
Fig. 1.

Act. App. cap. II. v. 2.

ETFACTUMEST
REPENTE
DECAELO
SONUS
UELUT
ADUENIENTIS
SPIRITUS
UIOLENTIS &c.

Fig. 3.

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11

Fig. 2.

CUMAURELIUSPAPAUNACUMUALEN
TINOPRIMAESEDISPROUINCIAE &c.

Viro Reverendo THO·BRATHWAIT·
S. T. P.
Novi Coll: OXON: *Cuſtodi meritiſsimo,*
Academiae Vice = Cancellario;
Scripturae *Veteris haec Specimina,*
e Bodleio ſumta, *D.D.D.* Editor.

(quod eſt *Galfredi* Figmentum) enunciat [*tantum abeſſe, ut hoc affirmarit, ut vix dum* Iſcam *fuiſſe conditam exiſtimet* :] quo nihil ſolidius, nihil Antiquitati convenientius enunciari potuerat.

a Veſpaſiano minime expugnata.

CONCLUDIMUS ergo *Dunmonios*, tum ob eorum diſtantiam a *Veſpaſiani* in *Britanniam* deſcenſu, tum ob *Romanorum* apud eos Monumentorum inopiam & defectum, ab illo Duce minime ſubjugari.

Argumenti concluſio.

SECT. VIIII.

EX. COLECiO. FABRICE.

IN Editione hujus Inſcriptionis *Hearniana*, O in COL: tanquam ɑ, ̇O, & l colligatas habens, deſcribitur: quod an cum Lapide concordet, dubitandum eſt. Habet utique Vocalis iſta Verrucam, in fronte exſtantem, hunc in modum [σ] (ſed nullam ſubtus, qua perfecta ſit, (1) e literis

O Simplex in Colecio;

---

(1) *See Mr.* Hearne's *Remarks on this Inſcription, pag.* 230, *ſub finem.*

literis minusculis sive *a*, sive *o l* ligatio, ei respondentem,) eamque non ab Artificis scalpro, sed temporis edacitate factam. Hoc ex Lapide, iterum atque iterum meo rogatu perhumaniter inspecto examinatoque, mihi literis confirmavit, ingenio & doctrina singulari Vir, *Geo. Millard*, Ecclesiae (quae *Bathoniae* vicina) *Box* appellatae Rector.

Unicum L;

UNICUM *L* in voce *Colecio*. Ita veteres *Macelum*, *Supelex*, *Oli*, *Tera*, *Fesus*, *Anis*; pro *Macellum*, *Supellex*, *Illi*, *Terra*, *Fessus*, *Annis*; Consonas Scil. (& ex iis *l*) non semper geminantes. Sic in *Columnae Rostratae* Inscriptione 2 legimus *Depreset*, pro *Depressit*; *Clase* pro *Classe*: Et Inscriptione 2 ad *Portam Capenam* eruta (quae vetustate proxime ad *Duillianam* accedit) *Fuise*, pro *Fuisse*: ut pateat *Romanorum* hunc ab antiquo fuisse usum. Utque nullas Consonas prisci geminabant, (quod uberius a Cl. 3 *Dausquio* probatum,) ita quidem ille mos, etiamsi primum ab 4 *Ennio*, deinde aliis *Graecorum* imitatoribus non

Ex Latinae Linguae consuetudine fere perpetua.

(2) *Vide* Florum *cum Notis* Graevii, *& Variorum*; *apud* Wetstenium.

(3) *Orthographicorum, Tract.* 2. *Sect.* 2.

(4) Verrius Flaccus *apud* Festum, *in voce* Solitaurалia.

non parum mutatus, ad aetatem Linguae Latinae noviſſimam, ſicut Inſcriptiones hodie teſtantur, perduravit.

IN [CI] brevis apertura cernitur: ſed ab Artifice fiat, annon, in dubio eſt. Ita fuiſſe ab initio, pene mihi perſuaſum habeo, quando in Veterum Monumentis C pro G frequentiſſime occurrat: Sic in *Columna* 2 jam dicta *Cerens*, pro *Gerens*; *Cocnatos*, pro *Cognatos*; *Arcentum*, pro *Argentum*; *Erco*, pro *Ergo*: Et de cadente Imperio, (ne ob literam G nondum inventam, tanquam cauſam hujus ſcriptionis unicam, haec ita ſcribi quis exiſtimet,) duo *Numiſmata* proferre ſufficiat, non procul ab *Aquis Solis* effoſſa, meis jam nunc in manibus verſata; quorum alterum habet CLAVDIVS. AVC. alterum CALLIENVS; utrumque C, pro G: Ex quibus, & hujuſmodi aliis obſervationibus aliquammultis, omnino patet, Conſonantes haſce ſic a Veteribus pronuntiari, ut hujus ſaepe vice fungatur illa.

C *pro* G *creberrime.*

ROMANI, qui bella fere perpetuo gerentes, illius uſu artis ſuorum temporum militaris omne punctum tenuere, Pila, Thoraces, Ocreas, Scuta, Caſſides, Sagittas, Arcus, Enſes, Bucculas, & id genus *Arma*, quae nuncupantur ob prae-

Arma quae militaria.

ſtantiam *militaria*, (quod ſupra tetigi) publice fabricarunt; & propterea *Majores Officinas* illuſtrioreſque, quam quibus antea contenti fuerant, huic negotio deſtinatas, publico ſumptu paſſim conſtructas habuere. *Fabricas* appellarunt, & quoniam *Fabricarum* diverſa erant genera, has interdum 5 *Fabricas* κατ᾽ ἐξοχὴν, interdum 6 *Sacras*, interdum 7 δημοσίας ὁπλοποιΐας, 8 δημοσίας φάβρικας, & 7 ἱερὰς φάβρικας appellando, a *minoribus Officinis* (de quibus ſupra Sectione II.) diſtinxerunt. Porro, quia *Fabricae* etiam *Publicae* 9 generum erant diverſorum, aliae *Calcarienſium*, aliae *Fabricenſium*, aliae *Argentariorum* (quorum 10 hi *Barbaricarii* aliquando dicti, Armis Argento potiſſimum, ſed & Auro tegendis ornandiſque; illi fabricandis iiſdem; iſti Calcis excoctioni incubuerunt) a diverſis muneribus cognomen impertiere.

Fabricae Sacrae *diverſorum generum.*

DE *Fabrica* hujuſmodi *Sacra*, *Lactantii*, qui ſub exitum ſeculi tertii ſcripſit, locus

(5) *Cod.* Juſtinian. *Lib* XI. *Tit.* IX. *Legg.* 1, 2.
(6) *Leg.* 6. (7) *Authentic. Collat.* VI. *Tit.* XIV. *de Armis, Cap.* 1. (8) *Cap.* III.
(9) *Cap.* IV. (10) *Cod.* Theodoſ. *Lib.* XII. *Tit.* 1. *Leg.* 37.

cus intellegendus. [*Huc accedebat*, [11] ait, [Diocletiani] *infinita quaedam cupiditas aedificandi:—Hinc Basilicae; hinc Circus; hinc Moneta; hinc Armorum* Fabrica:] quod de *Nicomedia* vult praecipue, ubi egit *Lactantius*; & quam Imp. *Diocletianus Romae* coaequare studuit. Fabricam *Nicomediae* Clibanariam, in Orientis censet Catalogo *Notitia*. *Lactantio* prior, istiusmodi *Fabricae* (nimirum *Sacrae*) meminit *Tarruntenus Paternus*, diligentissimus ille Juris militaris assertor. [*Quibusdam*, ait, [12] *aliquam vacationem munerum graviorum conditio tribuit: ut sunt Mensores*, &c. *Victimarii*, *& Optio* Fabricae:] cum aliis aliquammultis; qui non promiscui vulgi Artifices, (ut notat *Gotofredus*) sed, ut docet hujus Legis Inscriptio, militiae & exercitus Artifices: Erat autem *Optio Fabricae* Adjutor Praefecti Fabrorum. *Paternus* sub *Antoninis* vixisse traditur.

Lactantii *locus explicatur.*

Fabricae Sacrae meminit Paternus;

Qui sub Antoninis *vixit.*

TRAIANUS, uti conjicio, primus *Sacras* hujusmodi *Fabricas* erexit; cujus sub imperio res *Romanorum* militaris omnino [13] florentissima esse, & ad culmen altissimum

A quo hae Fabricae *primum extructae,*

(11) *De Mortibus Persecutorum*, Cap. VII.
(12) *D. De Jure Immunitatis*, *L. 6.*
(13) Lipsii *Analecta ad militiam Romanam*, *Vesaliae*, MDCLXXV. *pag.* 421.

tissimum evehi perhibetur. Legiones ille numeravit triginta, quibus civilibus copiis Sociorum addendae totidem; itaque militum ter centies & sexagies mille armavit Imperator, Reipub. studiosissimus, & in Militia curanda diligentissimus.

Fabricensium in Collegiis Oeconomia.

UT Artificum eandem Artem exercentium (e. g. Pistorum, Naviculariorum, Coriariorum, Suariorum, Sagariorum, ne dicam alios) Sodalitates, Consortia, [14] sive *Collegia*, sic etiam *Fabricensium* fuere; eaque Legibus suis astricta, Privilegiis & Immunitatibus donata. Selecti sunt idonei viri, quibus in *Collegium* cooptatis, a conditione sua recedere, neque ipsis, nec eorum suboli concessum est; utque dignosci possent Fugitivi, Stigmata eorum Brachiis (sic ut, *Aetio* [15] nostro tradente, Tironum manibus) inurebantur. A publico stipendium accipientes, Arma a se fabricata, in publicum Armamentarium deferenda, tradere cogebantur. Nulli ea vendere, vel emere; ut neque alibi, neque aliis cudere licebat. Ab universis Muneribus, & a Metati onere, (id est, ab Hospitibus reci-

(14) *Cod. de Fabricensibus, L.* 4.
(15) *Tetrabibli secundae Sermo* IV. Cap. XII.

Tab. IV.
post pag 132

I. Harris fecit

Hæc Magistri *Officiorum Insignia,*
quæ Fabricam *Illustrant* Bathoniensem,
D.D. Guil. Speke, *Nobilis Belga.*



recipiendis) fere ſemper immunes erant. Eorum aliquo decoquente, aut fugiente; pro illo ceteri tenebantur; & ut reſarciretur hac in re *Collegii* (quae communis erat) Arca, ſine legitimo haerede defunctorum bona ad *Collegium* pertinebant.

IN omni *Collegio* quinque primi eminebant; quibus ampliora, quam ceteris, Stipendia. Qui reliquis omnibus Praepoſitus fuit, nunc *Primicerius* appellabatur; nunc *Praefectus*; nunc *Tribunus Fabrorum*. Erat etiam *Optio Fabricae*, ſive *Adjutor* (16), de quo ſupra. Omnes hi, ipſaeque *Fabricae*, aliquando erant ſub diſpoſitione *Magiſtri Officiorum*; cujus *Inſignia* creduntur haſce *Fabricas* illuſtrare; atque ideo *Gelenius*, ante ſeſquiſeculum, ea ſimul cum *Notitia dignitatum utriuſque Imperii*, paulo ante in *Britanniis* inventa, edi curavit; sed deinceps multo accuratius, in *Commentario* ad *Notitiam*, (17) *Pancirollus*. Horum Imaginem exhibet Tabula quarta, Principis vultum, Libri dorſo inſculptum, tres Thoraces, cum Brachiali, duo Scuta, Clypeum item aureum Orbem

Fabricas illuſtrant

Inſignia Magiſtri Officiorum.

(16) *D. de Jure Immunitatis, Leg.* 6.
(17) *Pag.* 1863. *Ed. Graeviana.*

bem in medio continentem, cum nigris Lineis Aquas ſubtus ſimulantibus; Caeruleam porro Bucculam, duos Acinaces, totidemque Enſes, Spicula, Secures, Fuſcinas, Cuſpidem, aliaque Armorum genera, quae pro militum uſu in iis fabricabantur, oſtendens.

HAC de re, & *Fabricenſium* Oeconomia, vide *Notitiam Imperii* cum Notis *Pancirolli*; *Codices Juſtinianeum*, & *Theodoſianum*, cum Notis *Gotofredi*; *Ammianum Marcellinum*, cum Notis *Valeſii*: Nam ex hiſce fontibus ea, quae a nuperis Auctoribus hac de re traduntur, hauriri videntur omnia.

Fabrica *in* Britannia,

UT in pleriſque aliis Provinciis, praeſertim Imperii *Romani* extremis, *Fabricae* complures, & in *Gallia* nominatim [18] octo erant; ita etiam aliquam in *Britannia* fuiſſe, unde exercitus in uſum conficerentur Arma, minime dubitandum eſt. Quo vero tempore, & cujus Imperatoris ſub auſpiciis, primum hic conderetur, eſt in dubio.

Non a Trajano,

Ne *Trajani* opus iſthuc exiſtimemus, eo prohibemur, quod, tametſi multa, eaque ſumme neceſſaria, conſtruxit Imperator

(18) *Notitia Imperii utriuſque.*

tor ille, revera μεγαλόφρων; uti Vias, Portus, Columnam, *Ædificia publica*, & quidem (uti conjicio) aliis in regionibus *Fabricas*; nihilominus, aut *Romae Italiaeve* adornandae, aut Imperii in Oriente dilatandi satagens, in hujus Insulae rebus non multum egisse visus est; in *Fabrica*, apud nos statuenda, nihil.

QUI illi successit, *Hadrianus*, auctor hujus rei longe probabilior: Hic enim, cum (ut ex celebri illo *Favorini* Philosophi dicto patet) triginta Legiones habuit; cum militaris scientiae fautor, illius professores amavit, *AElianum*, *Arrianum*, & *Frontinum*; (quorum hic, vir Consularis, στρατηγηματικῶν Libros quatuor; ille Τέχνην scripsit Τακτικὴν; iste, & quidem ad D. *Hadrianum*, περὶ Στρατηγικῶν τάξεων Ἑλληνικῶν;) cum 19 *Armorum ipse peritissimus, & disciplinae militaris scientissimus*, sic, ut ea scientia facile omnes, qui copiis unquam imperaverint, (quod de eo testatur *AElianus* 20) antecelluit, ei non modo 21 Constitutionibus caveri voluit, sed & perraro utique exem-

Sed (uti videtur) ab Hadriano *constructa;*

(19) Spartianus *in Hadriano*. Eutropius *Lib.* 8.
(20) *In praefatione ad Hadrianum.*
(21) Vegetii *de Re Militari*, *Lib.* I. *Cap.* VIII.

exemplo [22] ſcriptis ornavit; cum ſocias urbes *Romanoque* ſubditas Imperio, *quam ullus unquam Imperator, plures inviſens*, [23] eas *operibus publicis pene* [19] *infinitis* auxit: cum *Britanniam* petiit, quae poſt *Trajani* mortem ſub *Romana ditione teneri* non *poterat*; & ei viſum fuit (ut jocoſe *Florus*)

Ambulare per Britannos,
Scythicas *pati pruinas*;

ſimulque res *Britannicas* peſſum euntes ſiſtere, ſtabilire: (nam in ea multa correxiſſe, & adverſus hoſtem Murum inſolitae magnitudinis ſtruxiſſe dicitur) quidni cenſeamus, ab Imperatore tam magnifico, tam prudente, *Fabricas*, quae ſub hoc tempus coeperunt eſſe in uſu, *publicas*, aliis aliiſque Provinciis, ſic, ut opus fuit; atque adeo pro trium Legionum exercitu in *Britanniis*, aedificari?

Quod probatur;

DESUNT equidem illorum temporum monumenta, quibus exhibeantur Officia

(22) Περὶ Τακτικῆς. Salmaſius *in Spartiani Hadrianum. Editione Lugd. Bat.* 1671. *pag.* 83.
(23) Dio *in Hadriano.*

cia ab *Hadriano* inſtituta: Conſtat autem ex *Victoris* Epitoma, ſtatuiſſe illum officia, tum Palatina, *tum etiam Militiae*; & quidem in eam formam, quae paucis per *Conſtantinum* immutatis, diu poſtea perſeveravit: *Conſtat* illum, per univerſum orbem opida reſtituentem, ea [*auxiſſe ordinibus*] Fabrum (ut eruditiſſima 24 Feminarum interpretatur) Carpentariorum, Ferrariorum, omniſque generis artificum: qui alio nomine mihi videntur eſſe *Fabricenſes*; ut & eorum Ἐργαστήρια, *Fabricae*; quando opida non tam civium ordinibus, quam aedificiis augentur: *Conſtat* illum [*Fabros*, &c. *in Specimen Legionum centuriaſſe*;] quod de *Fabricae Sacrae* Operariis, potius quam de Legionariis intellegi debere, licet arbitrari. *Conſtat* denique *Hadrianum*, in memoriam rerum a ſe in *Britannia* geſtarum, (quod *Iſ. Caſaubono*, *Bactriani*, pro *Britanni*, in *Spartiano* legenti, merito reponi poſſit) duo percuti Numiſmata juſſiſſe; de quorum altero ſupra pag. 79; alterum habet *variis hanc in rem adductis argumentis*:

RESTITVTOR. BRITANIAE.

---

(24) *Vide Notas* Annae *ad Epitomen, in Hadriano.*

Ex quibus, & nonnullis hujuſcemodi aliis, (nam huc referri poſſunt, quae de Altari apud *Silures* invento poſtea dicentur) *Hadriano* Imperante *Fabricam* Ὑδασι poni Θερμοῖς exiſtimo; & quidem A. D. circiter CXXI. Nam in *Britanniam* migravit Imperator A. CXX; (Clariſſ. *Hen.* tradente † *Dodwello.*) In *Galliam*, uti videtur, A. CXXI. tranſgreſſus eſt.

& quidem A.D. *circiter* CXXI.

VOLUNT aliqui Vocalem E, in FABRICE finalem, τῷ [AE] ſubrogari, ut legatur *Collegio Fabricae*; non alio modo atque in Lapide,[25] apud *Dimetas*, inciſa eſt vox PATRIE pro PATRIAE; & Inſcriptione *Comaroniana* [26] FILIAE PIISSIME; & Numiſmati incuſum eſt [27] LEGI PMNE pro *Legioni Primigeniae.* Veteres etiam E pro Æ, *Etas* pro *AEtas* ſcripſiſſe a *Joſ. Scaligero* [28] notatum eſt (ut

E pro Æ.

---

† *Ad Irenaeum. pag.* 219.

(25) *Doctiſſ.* Lhwydi *Additiones ad Cl.* Camdeni *Caer-Mardhin-ſhire.*

(26) *Dr.* Brown's *Travels.* Lond. 1673. *in* 4*to*, *pag.* 28.

(27) *Recherchè Curieuſe D' Antiquitez, &c. Par* Nic. Chevalier, *a* Utrecht, *Tab.* 8.

(28) *Vide Conjectanea in Lib.* V. M. Ter. Varronis *de L. L. pag.* 76. *Ed.* Hen. Stephani.

(ut ut ista μεταστοιχείωσις a Literatissimo *Dausquio* praetermittatur :) sed lego *Fabricensium*, non *Fabricae*, aut *Fabrice.* De hac hujusce verbi Lectione monitum me voluit humanissime *Gualterus Moyle*, Nobilis *Dunmonius*, tam ingenio & eruditione, quam genere clarus. Cujus hac in re opinioni summopere favet id, quod sequitur, primum *Fabricam* manifestissime Locum ostendere; ut ex *Vegetio*, & *Justiniano* liquet. [*Habebant*, (verba sunt † *Vegetii*) Fabricas, *in quibus omnia Armorum genera formabantur:*] Huic consonum illud *Justiniani* *, Συνείδομεν, τὸ τῆς ὁπλοποιΐας ἔργον μηδένα μὲν ἰδιώτην ἐργάζεσθαι, μόνους δὲ ἐκείνους τὰ ὅπλα κατασκευάζειν, τοὺς ἐν ταῖς δημοσίαις καταλεγομένους ὁπλοποιΐαις, ἢ ταῖς λεγομέναις φάβριξι. Deinde, *Fabricenses* in eo loco operam impendere: Postremo, *Collegium*, e diverso, esse Personarum; ut Praetorum, Augurum, Sacerdotum, &c. Regula vero Artis Criticae est, Ut Voces, sive captu sive lectu per se difficiles, ab aliis sibi adjunctis lucem foenerentur, &, ut hae requirunt, legantur, accipiantur.

Collegium *est Personarum.*

T 2 FA-

† *De re militari, Lib.* II. *Cap.* XI.
* *Novell. Constit.* LXXXV.

Fabricae Bathoniensi,

FABRICAE duo sunt necessaria, *Ferrum* & *Carbones.* Utriusque facta est e vicinia praestatio. *Ferrum*, ut de ejus, tanquam ad humanos usus maxime necessarii, Inventoribus, *Idaeis Dactylis Kelmi* & *Damnaneo*, in Chronico ‡ Marmoreo memoratis; ut de eo nihil dicam a [29] *Strabone*, inter hujus Insulae τὰ Ἐξαγώγιμα, (quae fuit illius Copia) numerato; *Ferrum*, inquam, praebuit *Transabriniana* Regio, Comitatuum hodie *Glocestrensis*, & *Monumethensis* pars; in qua Fodinam ejus etiam nunc percelebrem, olim *Romanorum* tempore aliquam fuisse, res est evidentissima. Hoc demonstrat Altare, quod *Jovi Optimo Maximo*, *Dolicheno* dicatum, *Iscae Legionis secundae Augustae* (*at Caerleon*) haud ita pridem [30] est inventum. *Dolichenus* appellatur *Jupiter*, [31] a *Doliche Commagenorum* urbe, quae *Ferri Fodina* fuit

Carbones & Ferrum praebuit vicinia;

quod Inscriptione confirmatur;

---

‡ *Inter Marmora Oxoniensia, a Cl. Prideoco Edita.*

(29) *Lib.* 4. & Salmasii Plinianas *Exercitationes*, *Cap.* XXII.

(30) *Cl.* Camdeni Silures.

(31) Stephanum *de Urbibus*, *voce* Δολιχὴ; & *in eum* Abrahami Berkelii *Notas*: *Ut* & Lucae Holstenii *ad* Stephanum *Notas* & *Castigationes.*

fuit insignis. Exstat enim *Arae*, in *Quirinali*, *Jovi Optimo Maximo Dolicheno*, [*ubi Ferrum nascitur*] exstructae Inscriptio, a *Luca Holstenio*, & *Reinesio* 32 relata: Unde Doctissimus *Lhwydus* 33 opinatur, & quidem rectissime, *Jovi* positum fuisse hoc Altare nostrum *Romano-Britannicum*, ut Dei illius propitii favore, Ferri, quod facile ignibus deducatur, venae nobiles invenirentur.

UT *Adrianus* Fabricam *Aquis Solis* erexisse; sic etiam Ferri hanc fodinam, apud *Silures*, aut primus aperuisse, vel minimum exercuisse, & quidem Fabricae ergo, (ut Ferri necessaria fieret praestatio) non sine ratione potest existimari. Nummus est, in quo legitur *Cui Nummus opitulatur.*

ΦΛΑ
CAMO
MHTRO
KOM

id est, interpretante *Luca Holstenio*, †

ΦΛΑ-

(32) *Syntagmate Inscriptionum, N.* XV.
(33) *In Additionibus ad Camdeni* Silures.
† Luc. Holstenii *Not. & Castigationes in Steph. Byzant. de Urbibus, pag.* 283. *Ed. Ludg. Bat. in Fol.*

ΦΛΑΒΙΑ ΣΑΜΟϹΑΤΑ
ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ ΚΟΜΜΑΓΗΝΗϹ

altera vero parte

ΑΔΡΙΑΝΟϹ

Ferrariae, *apud* Silures, *auctor* Hadrianus.

Hinc colligimus *Adrianum*, *Commagenorum* populo, (terram Ferrifodinis celebrem incolenti) fuiſſe in honore; & quidem ideo forſan, quod eorum ille *Ferrariae* faveret. Cuivis autem opinari pronum eſt, ejus animi Imperatorem & *Commagenis* ita propitium, in eadem re Ferraria nonnihil etiam apud *Britannos* egiſſe; & *Silurum* Altare illud, *Jovi Dolicheno* ſacrum, ut non ſine *Commagenorum*, ita non ſine aliqua *Adriani*, rei Ferrariae fautoris optimi, memoria, Auguſtorum monitu, a *Calpurnio* & *Rufiliano* fuiſſe poſitum.

MULTO certius & indubitatius ex hoc *Altari*, quam a *Cineribus* eo terrae tractu conſpiciendis, probari poteſt, *Romanos* ibi Ferrum crudum effodiſſe. Etſi enim Cineres (ex Veterum in re Docimaſtica, praecipue in tractando Igne imperitia) ſemiuſti 34 hodie ibi ſic, ut etiam apud *Cor-*

(34) *Mr.* Hearne'*s Remarks on this Inſcription. pag.* 232.

Cornavios alibi cernuntur, & Follium nostrorum, quàm qui *Romanis* erant in usu, longe fortiorum, † ope & beneficio, cum fructu iterum comburuntur; at minime liquet, cujus illi sint aetatis, & a quibus (*Romanis* scil. an *Saxonibus*, *Danis*, an *Normannis*, sive etiam *Britannis*) sint relicti: Verum, de *Romani* fide *Altaris*, nulla potest esse dubitatio.

FERRI a *Fodinis*, ad *Fabricam*, adportandi via fuit 35 trans *Sabrinam* Fluvium, eo loci duo circiter milliaria latum, ad *Trajectum* (*Oldbury*;) & ex eo, strata, ad *Aquas Solis*. Vide Fig. quintam. *Ferrum ad Fabricam adportandi via.*

IN diversis *Fabricis*, aut ex toto, aut magna ex parte (paucis exceptis) Arma fiebant diversa. Hinc *Fabricarum* alia *Sagittaria*, alia *Scutaria*, alia *Loricaria*, alia *Spatharia*, & sic ab aliis Armorum generibus, aliae nominabantur. *Argentoratensis* 36 *Fabrica* Armorum erat omnium; ut & aliquae in Oriente. Nescio an eo numero sit habenda *Bathoniensis*. Enimvero *Fabrica* Bathoniensis *aut Armorum erat omnium; aut cum Armamentario* Batavico *commercium habuit.*

† England's *Improvements*, *by* A. Yarranton, *pag.* 60. *Mr.* Carew's *Survey of* Cornwal, *pag.* 12, *b.*

(35) *Vide Tabulam* Britanniae Romanae Galeanam. (36) *Vide* Notitiam, *Ed.* Graevianae, *pag.* 1864.

vero ita esse, hoc uno pene suadeor argumento, quod *Britannia Romani* angulo Imperii sita, praecipue pars illius ea, quae Septentrionalis simul Occidentalisque, Arma a Fabricis *Gallicanis*, seu quibusvis aliis, non nisi difficulter acciperet: contra, ab *Aquis Calidis*, in omnes Insulae Regiones, qua navibus, qua carpentis Arma promtissime ferri possent.

Contra hanc Fabricam *Argumentum:* ADVERSUS *Fabricam* hanc *Bathoniensem*, nonnullis, & doctrina claris, & judicio pollentibus, argumento fuit, quod e *Graecis Romanisque*, qui de rebus *Britannicis* scripsere, & quorum ad nos scripta pervenere, nemo quisquam unquam eam commemoraverit; & in *Notitia Imperii*, (quae *Fabricas* omnium plenissime luculentissimeque exhibet,) de *Britannica* ne verbum quidem occurrat. Hunc defectum, ut ut gravem & demirandum, *Julii* nostri supplet *Inscriptio*, mentiri nescia, remque omnem extra dubium ponit; dum e *Collegio Fabricensium*, quod in propinquo sit necesse, *Vitalem* efferri tradit: Sed & de *Notitia* dici potest, non eam omnis aevi gentisque *Fabricas* omnino omnes exhibere; verum tempori suo forsan accommodari: quod ut exemplo uno alteroque confirmetur, nullius meminit haec *Notitia*

Quod diluitur.

tia Fabricae, *Constantinopoli* fundatae; quae tamen una e nobilissimis erat, *Valentis* Imp. 37 Lege cohonestata. Notat etiam 38 *Pancirollus*, Editionem *Notitiae* cum Manuscriptis eo non convenire, quod *Scordiscorum* (sunt hi *Pannoniae* Populi) *Fabricam* omiserit. *Constantii Chlori*, & *Constantii Junioris* Nummos *Londini* 39 fuisse percussos, certissimum est: Officinam autem monetariam *Londinensem*, nemo est, quod sciam, antiquorum, qui memoriae mandavit: nulla ejus, nisi ex ipsis Nummis, hodie vestigia; sed illis manifesta. At quod dubium omnino diluit, *Notitia*, *Pancirollo* * non sine ratione opinante, sub finem Imperii *Theodosii Junioris* (id est, circa annum CCCCLI) scripta fuit: Sed testante *Beda* 40, anno CCCCIX, (quo, vel proxime sequenti, secundum *Armachanum* 41, *Gothi Romam* diripuere) *Romani*

Officina Romanorum monetaria Londinensis.

U

(37) *Vide Cod.* Theodos. *Tit. de Fabricensibus. Leg.* I. *& in eam* Gotofredi *Commentarium.*

(38) *Ed.* Graevianae, *pag.* 1866.

(39) *Nummos* Romanos *in Cl.* Camdeni Britannia.

* *Praefationem in* Notitiam.

(40) *Epitomen Historiae per* Bedam.

(41) *Ad Britannicarum Ecclesiarum Antiquitates Indice Chronologico.*

Romani in *Britannia* regnare ceſſarunt: ut diu (id eſt, quadraginta praeter propter annos) ante ſcriptam hanc *Notitiam*, *Fabrica* noſtra *Britanno-Belgica* deſiiſſe, neque locum in *Notitia* vindicare potuiſſe cenſeatur. Adeo quidem abſurdum eſt rectaeque rationi alienum, a *Fabrica Bathonienſi* in *Notitia Imperiorum* omiſſa, eam non fuiſſe, argumentari.

Fabrica Bathonienſis *e Sacarrum numero.*

CUM *Fabricae*, & *Fabricenſium* mos ac conditio talis ſit, qualem in ſuperioribus exhibui, jure merito dubitari poteſt, utrum *Bathonienſis* illa *Fabrica*, *Sacra*, (id eſt magna, illuſtris, pluribus inſerviens Legionibus) an potius Legioni XXae propria ſit habenda. Prior utique videtur opinio probabilior. Nam (ut de *Fabricae* illuſtris in hac Inſula ſub *Romanorum* Imperio neceſſitate, & de *Ferri Carbonumque* prope *Bathoniam* abundantia, conficiendis Armis idonea, nihil repetam) res difficilis ad credendum eſt, Legionem XXam *Devae* maxima ex parte ſtationem habuiſſe; illius autem *Fabricam* Υ'δασι fuiſſe Θερμοῖς: id eſt, ſecundum *Antonini* vias, & calculum, Milliaria ducenta & eo amplius, a Legione ſua diſtare.

IC-

ICCIRCO *Fabricam Bathoniensem* in *Sacris* habeo; & in ea fabricata Arma ad *Ischalin*; ad *Iscas*, hanc *Dunmoniorum*, illam *Legionum*; ad *Devam*; ad *Eburacum*; ad Exercitum, & omnia *Romanorum* in *Britannia* militum praesidia, & ad *Batavicum Armamentarium*, ab ejus Primicerio mitti probabile est. Ex *Fabrica*, per 42 angarias & naves, ad loca deputata transvehebantur Arma. Ad Exercitum advecta curavit *Armorum* in eo *Custos*: de quo quidem munifice 43 *Paulus*, & duae apud 44 *Stewechium* Inscriptiones, & Doctiss. † *Velserus*.

Arma fabricata Primicerius *ad exercitum, & Armamentarium misit.*

Armorum in exercitu Custos.

BATAVICUM illud *Armamentarium*, quod in *Rheni* fuit ostio (& cujus meminit 45 *Hadrianus Junius*, & 46 *Bergierius*) non ita capiendum, ac si a *Severo*, tanquam primo ejus Conditore, sumsisset initium; & ab Imperatore, *Severi* fuisset dictum; quod tamen innuit *Bergierius*: Sed e contrario, *Vetustate conlabsum illud restitui* patet ex In-

Armamentarii, *propter* Rheni *ostium, antiquitas.*

(42) *Cod.* Justinian. *Lib.* XI, *Tit.* IX, *Leg.* 7.
(43) *Digest. Lib.* XLIX, *Tit.* XVI. *Leg.* 14.
(44) *Ad* Vegetii *Lib.* 2, *Cap.* XV.
† *Pag.* 417. (45) *In* Batavia.
(46) *De publicis & militaribus Imperii* Romani *Viis*, *Lib.* 4, *Sect.* 21, *Paragrapho* 8.

Inscriptione, quam ad Litus Oceani prope *Lugdunum Batavorum* erutam, ex rutis caesis Castri *Batavici* vidit *Stewechius* 44, & exprimendam curavit. Magni profecto quidem aestimanda haec Inscriptio, propterea quod *Armamentarii* illius antiquitatem abunde probat; & ab eo Arma, tum diu ante, tum post *Severum*, prout opus fuit, nunc in *Britannias* transferri, nunc ex iis recepta in illo custodiri, reddit probabile. Ipsammet Inscriptionem hic subnectam, Tab. quinta.

Corporum Coalitio

SIQUIS, in sacrum hoc Collegium cooptari etiam *Legionarios Fabricenses*, (quorum e numero, quod dixi, fuit *Vitalis*) opinetur, sententiam ab usu & legibus, ut existimo, *Romanis* minime tuebitur alienam. *Collegium Fabrorum*, & *Corpora hoc genus ex* 47 *distantibus constare Corporibus* omnino liquet, *ut* (secundum 48 *Pomponium*) *Corpora plura non soluta, sed uni nomini subjecta.* *Romanis* Imperatoribus alias saepe placuit Corpora connectere.

Romanis *non inusitata.*

---

(47) *Vide* Gotofredi *Notam* [y] *ad D. Quod cujuscunque universitatis nomine, vel contra eam agatur.*

(48) *D. De Usurpationibus & Usucapionibus, L.* 3. *Sect.* 1.

Post Pag: 148 : Tab. v :

IMP. CÆS. L. SETIMIVS. SEVERVS. AV. ET
M. AVRLIVS. ATONINVS. CAES. CON. XV
VOL. ARMAMENTARIVM. VÆTVSTAE
CONLABSVM. RESTITVERVNT. SVB
VA. PVDENE. LEG. AVG. PR. CVRAE
CÆ. CL. BAE PRE.

HENRICUS. GATCHEL. *de* BLACFORD. *ad*. OGONEM



Generosus BELGA. *Amicus* IVLI. *Ejus*
memoriæ Tabulam hanc. D. D. Q.

Jo: Coles Sculp:

nectere. Jussit *Constantinus* 49, *ut in quibuscunque opidis Dendrofori fuerint, Centonariorum* (annon *Centenariorum?*) *adque Fabrorum* [*Corpora*] *adnectantur*: (addita ratione) *quoniam haec Corpora, frequentia hominum multiplicari expediet.* Atque haec coalitio Corporum Inscriptione 50, quae sequitur, illustrata est.

QVIR. RVFO. &c. CooPTAT. IN COLL. OMNIUM FABR. CENTONARIORVM ET DENDRO.

UTUT ista sint (neque enim de *Fabricensium* istac Coalitione aliter, quam de re probabili, verba facio) pro certo hoc habendum, *Julium Vitalem* sacro *Fabricensium Aquis Solis* Collegio, familiarem & dilectum esse; quod Humanitati, Morum integritati, Urbanitati, aut Dignitati tribuendum.

Collegio Vitalem commendavit forsan Humanitas, Integritas, vel Urbanitas.

HUMANITATE nihil pulcrius, aut efficacius; qua in aliorum animos, vi secreta, potestate inexplicabili, homines se insinuant, eosque sibi vinculo indissolubili devinciunt. Morum suavitate, facilitate,

Humanitatis *vis*,

(49) *Cod.* Theod. *de* Centonariis *&* Dendroforis; *Leg.* 1, *&* *ad eam* Gotofredi *Notas.*


(50) *Praefationem ad* Antiquitatum Roman. *a Cl.* Graevio *Ed. Vol.* X.

litate, probitate, ad officia quaeque paratissimi, dum servi esse conantur, fiunt domini. Sine tumultu, parta haec Victoria; sine clade, haec opima Spolia. *Humanitas* ipsam Hominis naturam apposite videtur significare: quid enim *Humanitate* carens *Homo*?

Integritatis, AT, qui *Integer vitae, scelerisque purus,* virtutibus plane divinis exornatus, ἰσόθεος videtur: Habet enim *Virtus* non solum quod, apud homines omnino omnes, honorem, cultum, & reverentiam mereatur; sed & quod, apud eos, qui utuntur recta ratione, semper eam obtineat.

Urbanitatis. SED cum de Militibus agitur, iisque seculi luxuriae deditissimi, cadentis scil. Imperii *Romanis*; in quo disciplinae militaris severitas, qua summo Reipub. cum emolumento Vetetes usi fuerant, jam in mollitiem & luxum abiit; alienum minime erit opinari, de ea *Vitalem* non parum degustasse; forsan etiam exquisito & jucundo in voluptatibus ingenio, *Fabricensibus Collegis*, & *Legionis vicesimae* Viris principalibus, sese carum reddidisse. Certo certius est, Legionem illam hoc tempore, ut & *Fabricenses*, nimio plus sibi indulsisse, delicate, & dapsiliter egisse: cujus rei testimonio nobis sunt *Hypocausta*, quae paucis ante annis,

Leg. xxæ & Fabricensium *Luxuria.*



V. E.
THOMÆ PALMER, e Nobilitate BELGICA,
Musarum et Charitum delicijs,
Παλαιοφίλῳ,
PAVIMENTI hujus SEGMENTATI, a
Ruderibus et Ruina ab Ipso vindicati,
Tabulam hanc L.M.D.C.Q. Editor.

Jo: Coles. Exon. Sculp:

annis, Urbe *Devana* & illius propinquo, ſunt detecta. *Pavimentum* huc facit, de quo Doctiſſ. *Galeus*, apud *Wellow*, *Somerſettenſis* Agri pagum, non procul a *Bathoniis*. Huc etiam *Pavimentum*, ad *Bathford*, haud ita pridem adapertum: At omnium maxime *Villa*, quae ſexto ab Urbe lapide, prope fundum *Haſilburienſem*, jam nunc inventa eſt, *Romana*; cujus, aevo ruinoſae & collapſae ὑποτύπωσιν, a ſeipſo delineatam, mecum amiciſſime communicavit *Tho. Palmer*, e Nobilitate *Belgica*, non minus Eruditione, & Ingenii candore, quam Honore illuſtris.

Villa, prope Haſilburiam, Romana.

VIDE Tab. ſextam, quae *Pavimentum* exhibet *Muſivum*; in quo albi coloris Area eſt, Figuras habens caeruleas, cum Miſtura rubicunda. Teſſellarum ſuperficies, duas unciae trientes quadratae, vivido etiam nunc, poſt tot annorum ſecula, ſunt colore. Non autem omnium eaedem ſuperficies; nam ad L, Unciam ſeſquialteram erant hac atque hac extenſae.

Pavimenti Muſivi deſcriptio.

Pavi-

Pavimenti Dimensiones.

Pedes quadrati — — — 21

Ejus Dimensiones.

Literae, quae sequuntur, spatiorum, quibus sunt affixae, latitudinem denotant. Ut,

	Pedem.	Unciam.		Pedem.	Unc.
A	0	$1\frac{1}{2}$	G	0	$1\frac{1}{2}$
B	0	$4\frac{1}{2}$	H	0	9
C	0	$1\frac{1}{2}$	I	0	$1\frac{1}{2}$
D	0	6	K	0	6
E	0	$1\frac{1}{2}$	L	1	6
F	0	9	M	1	0

Pavimento tam eleganti superimpositum est e tegulis Operimentum, eique Rudus superstratum. Totius aedificii fundamenta, hodie visenda, sed nec omnia, sunt pedes 184 longa: Ut plane constet, Domum olim magnificam hanc fuisse, & Dominum eam non sine revertendi spe deseruisse. Quod iis, quae a *Gilda* & † *Beda* narrantur, imprimis convenit: ex iis enim patet, sub Imperii finem, *Romanorum* aliquos hanc

† *Ecclesiast. Historiae, Lib.* I.

hanc Insulam & saepe reliquisse, & ad eam saepe revertisse.

ROMANORUM, ne dicam *Fabricensium*, qui *Vitalis* aevo stationem *Aquis calidis* habuere, lautam & luxuriosam vivendi rationem ostendit hoc AEdificium, aliaque passim *Hypocausta*, quae hoc terrae tractu creberrime deteguntur, plane ad voluptatem facta. Nec a vero multum aberrari existimo, si a me judicentur hoc Conclavi, si *Catullianis* hisce *Tenebris* otiari, & aliquando latere *Fabrorum* & *Legionum Praefecti*, & cum iis una forsan etiam *Vitalis*, Fabricensium Luxuria.

> *Διὰ νυκτὸς ἐγκαθεύδων,*
> *Αλιπορφύροις τάπησι,*
> *Γεγανυμένος Λυδίῳ.*

HIS aliisque Virtutibus ὁμιλητικαῖς, id quod verisimile, Collegio *Vitalis* se commendavit; iis (quae bona fuit ejus Fortuna) percarus, quos amavit: adeo percarus, dum in vivis esset, ut jam mortuus *ex Collegio* (id est, forsan illius frequenti comitatu, communibus lacrymis, & forsan etiam ex communi arca impensis) *Efferetur*: Utque *Collegio Vitalem* commendare videtur Humanitas, Integritas & Ingeni-

um; ita quidem Honori fuit *Collegio*, Viri tam digni merita & virtutes, honore tam justo, publica nempe sepultura afficere, & (ut licet opinari) Cippo hoc donare.

MORIS fuisse *Romanis* Sodalitatibus aliisque Statuarum, Cipporum, Ollarum, aliorumque monumentorum honore suos augere; nunc ob illorum Virtutes, erga Rempub. eximias; nunc ob privatam erga se munificentiam; ex *Grutero*, *Reinesio*, &c. manifestum est. *M. Vinicio municipes sui aere conlato pietatis causa posuerunt.* Sic Inscriptio 51 *Neapolitana.* Et alibi 52 *Huic Decuriones Funus Publicum, Statuam Equestrem, Clypeum Argenteum, Locum Sepulturae decreverunt.* Et *P. Petreio Mater statuam posuit, ob cujus dedicationem Coll. Cent.* (id est, Centonariorum) *Epulum* 53. *Proculo*, 54 Patrono praestantissimo, Collegium Pistorum, *Populonii*, Statuam erexit; uti etiam Corpus 54 Suariorum, & Confectuariorum. At cum *Publici Funeris*, quale fuisse *Julii* probabile est, honores virorum magna ex parte celebrium & dignitate

Julii *Dignitas.*

(51) Kirchmannus *de Funeribus Romanorum, Libro primo, pag.* 27. *Ed.* Brunswig.

(52) *Pag.* 33. (53) *Ibi, pag.* 189.

(54) *Inscriptionum Antiquarum Sylloge, pag.* 156, 7.

tate praecellentium fuere; *Julium* nostrum non e Fabricensium vulgo & e multis unum fuisse, sed eorum forsitan Praefectum, *Fabricensem* eminentiae causa dictum, & tam Officii, quam Personae dignitate praecelluisse censendum est.

SECT. X.

E L A T V S.

VERBUM exequiale, non ab omnibus satis intellectum: nam cum *Efferre* interdum idem significet, atque *Extollere*; unde 1 *Cicero* [*cum Pupillum filium ipse pene in humeros suos extulisset,*] & alibi [*Patriam demersam extuli,*] quidam 2 hinc, τῷ *Efferri, in altum extolli evehique* volunt intellegi; quoniam cum pompa, quod aiunt, humeris clarorum virorum Feretro suppositis, Cadaver elevatur. Hoc autem minus accurate. Nam apud plerasque gentes, praecipue vero *Romanam*, cum mos

Elatus *quid significet.*

(1) *De Oratore.* (2) Sipontinus, *&c.*

mos obtinuit, ut extra Urbem mortui ſepelirentur; iccirco *Efferre*, quaſi diceres *extra ferre*, a Mortuorum Exportatione trahitur, idemque ſonat, atque *ad Sepulturam ferre*. Luculenter rem deſcribit, uti *Romanorum* mores alios pleroſque, *Virgilius*. De Apibus, 3 ait, (quoniam & illas Funeribus ſtudere, ſunt qui opinentur.)

——TUM corpora luce carentum
Exportant tectis, & triſtia funera ducunt.

Rectiſſime *Kirchmannus*, 4 [*Elatio, mortui hominis ad ſepulturam, exportatio eſt.*] Huic aequivalet *Plauti* [*foras ferre*,] ut in *Aulularia* 5; [*Perendie foras feratur ſoror.*] *Graeci* apertiſſime: *Elationes* a *Julio Polluce* dicuntur 6 Ἐκφοραί; verum affirmat *Heſychius* 7 Ἐκφορὰν, ἔξοδον, ταφὴν, ἐκ τοῦ ἐπὶ μνῆματος διέρχεσθαι.

QUARE [*ex Collegio elatus*] ejuſmodi locutio eſt, atque *Ciceronis* 8 [*efferre ex acie*;]

(3) *Georgic. Lib.* IV.
(4) *De Funeribus Romanorum. Brunſvigae*, MDCLXI. *Lib.* II, *Cap.* I.
(5) *Act.* II, *Scena* I.
(6) *Lib.* III. *Segm.* 102. *Ed.* Amſtel. *Fol.*
(7) *Voce* Ἐκφορὰν.
(8) *Tuſcul. Quaeſt. Lib.* 2.

acie;] *Nepotis* 9 [*ex acie elatum*:] utrobique enim Coetus hominum reſpicitur. Quoniam autem a *coetu*, ad illius *locum*, migratio facilis eſt, & *illius* in vicem Metonymia libenter *hunc* ſuppeditet, iccirco illi, qui invenuſte non tam *Latine*, quam *Grammatice* loquuntur, τῷ *Collegium* uſi ſunt, pro *Collegarum Habitaculo*. Hoc autem Linguae Latinae *Ferrea* dicam, an potius *Lutea* aetate factum? Cum *Aurea* illius dicta, *Gratiae*, *Venuſtates*, in *Barbariem*, in dicendi turpitudinem, in Vocabulorum Monſtra deſiere, & Epiſtolis *Ciceronianis* ſuffectae ſunt *Virorum* iſtae *obſcurorum*. Collegium, *pro Loco*, parum Latine.

SECT. XI.

H S E

APUD Veteres, inquit 1 *Val. Probus*, *cum uſus Notarum nullus eſſet, ſcribendi facultatem, maxime in Senatu qui ade-*

(9) *In Eumene.*
(1) *Apud Dauſquium, alioſque.*

aderant Scribendo, ut celeriter comprehenderent, quaedam verba atque nomina ex communi consensu primis Literis notabant; & Singulae quid significarent in promptu erat. Ita *Probus*. A Senatu ad Artifices, ad Lithotomos dimanavit mos; quando tam hisce, non sine multo labore voces sculpentibus, quam illis scribentibus, earum *Notae* essent utilissimae.

Notarum Origo.

NOTANT Literae supra-scriptae Voces [*Hic situs est*;] quae interdum integrae producuntur, ut in *Juliani* 2 Epitaphio: hic, ut alibi saepissime, partim ex ipsius rei notitia, partim ex communi consensu, primis suis tribus literis significantur.

Notae hujus significatio.

HISCE Literis, & hujusmodi aliis, *Singularum* appellatio a *desolatione* facta est; quia una Litera a reliquis *seorsa*, figebatur 3. A vocabulo *Singulae*, contracte *Siglae* †. Hinc illud *Manilii* 4

——Cui Litera verbum est.

Unde Singulae, & Siglae, *quae*

QUIA ex *Siglarum* usu facile posset oriri error, ideo cavit *Justinianus*, ne Li-

(2) *Ad Silures Additamenta.*
(3) Dausquii *Notas ad Val. Probi Notas.*
† *De* Siglis Vett. *vide* Joh. Nicolai *Tractatum, Ludg. Bat. impressum*, MDCCIII.
(4) *Lib.* IV.

Librarii, in exſcribendis Inſtitutionibus, Digeſtis, & Codice, 5 *Siglis* uterentur. *a Juſtiniano vetitae.*

NOTAE hujus Literis, in *Galeana* Inſcriptionis editione, adduntur *Puncta*, ſingulae ſingulum; quod in *Hearniana* editione non eſt, ut nec in ipſo Lapide, cernendum; imo nullae *Punctorum* hoc in loco reliquiae, ſive inaequalitates ſunt; ut nulla unquam hic fuiſſe *Puncta*, veriſimillimum habeatur. *Nulla hic Puncta.*

SI quis autem opinetur, ea de cauſa hic omitti *Puncta*, quia Literae iſtae, magno intervallo diſtantes, & longe a ſe invicem remotae, Verba, Lectorem minime interturbando, clare ſignificant; e diverſo manifeſtum eſt, *Punctorum* uſus non eſſe ullis perpetuis & certis legibus aſtrictos, neque aut Literis hiſce, aut aliis hujuſmodi (*Singulariis*) ut neque Verbis, ſemper ea poſtponi. Hic autem, ſive Literae iſtae juxta, ſive procul eſſent, *Puncta* minime neceſſaria ſunt; quando *Notae*, ex iis confectae, uſus ut creberrimus, (nam in omni *Romana* Lingua vix ulla magis in vulgus ſparſa, ſive crebrius,) ita captu facillimus. *Uſus eorum in hac Nota incertus,*

ALI-

(5) Martinii *Lexicon. voce* Singulae.

ALIQUANDO vero hisce Literis, a se remotis, & cum hiatu sculptis, *Puncta* subjiciuntur: Ita in duobus *Murrii Valeriique* Monumentis, hoc ipso (*Walcotiano*) Agro repertis, ipse *Camdenus* 6, αὐτόπτης, Epitaphia cum tribus hisce Literis, totidemque *Punctis*, sua manu transcripsit.

EODEM plane modo in *Elupii* Inscriptione, quae *Cornaviorum* est, V.S.L.M. quibus significatur [*Votum solvit lubens merito*] habent Singulae *Punctum*, etiamsi dissitae; ut & alibi 7: Sed in *Belatucadri* [sive *Martis*] Ara, quae *Brigantum* 8 est, occurrunt eaedem Literae, conjunctae sine *Punctis*; ut denique *Punctorum* his & hujusmodi *Siglis* appositio, non tam consilio, quam fortuitu fieri, liceat existimare. *alibique.* Operariorum hac in re incuriam manifestissime ostendit in *Westmorlandia* 9 Inscriptio reperta, cujus linea postrema habet R. FVS. L. M. pro R. F. V. S. L. M. Nam sic

(6) *Vide Cl. Camdeni* Belgas.

(7) *Ad* Cornavios *Additamenta.*

(8) *In* Ottadinorum *&* Brigantum *Inscriptionibus.*

(9) *Vide* Antonini Iter Britanniarum, *per* Galaeum, *pag.* 7.

ſic legendum arbitror, ut literae V S, quae ſine *Puncto* conjunguntur, ſignificent *Votum Solvit.*

HUIC per Literarum compendia ſcribendi modo, affinis eſt *Cryptographia*; quae a Militibus, & res civiles gerentibus omni fere aevo adhibita, praeclarum nuper habuit explicatorem interpretemque, *Johannem Walliſium*, Profeſſorem *Oxoniae Savilianum*, profundi admodum Ingenii Virum, Scriptis celeberrimum. Hic quum *Interpretandi Artem*, excepto tantum ex Filia Nepote, (qui regio ſtipendio muneratus, eam hodie laudabiliter exercet, & in ſecretis habet) cum nemine, quantum ego ſcio communicavit; integrum mihi erit, quid de eo cogitaverim, obiter in medium proferre.

Walliſius *Cryptographias Interpres.*

QUI hujuſmodi Scripturae ſtudent occultae, in eo fere ſunt plerique omnes, ut, ſive Literarum mutando poteſtates (& *a* pro *b* ponendo, vel aliquid tale,) ſive Literis neceſſariis otioſas interponendo, ſive utroque hoc modo, *Alphabetum* quoddam inducendo novum, Lectori faciant offucias, ſenſumque, niſi ab *Alphabeti* participe, celare conentur. Jam vero, quando in *Vulgaris.*

omni omnino Lingua, primum, Literae omnes, tam *Vocales*, quam *Conſonantes*, ſunt inter ſe in certa & peculiari ratione; cumque inſuper Literae uniuſcujuſque Linguae peculiarem habent & privatum *Ordinem*; (quae quidem Literarum inter ſe *Ratio*, cum earundem *Ordine*, multa lectione diligentique obſervatione diſcenda eſt) nihil impedire mihi videtur, quominus, ex datis *Rationibus Ordineque* prae-

Ut detegatur; dictis, ſciatur id, quod κρυπτογράφεται, tanquam ex Vultu Perſona. Imo, quoniam ad hanc rem ex hiſce duobus ſufficiat alterutrum, (ſic ut, intellecta certoque poſita *Ratione* praedicta, ſive *Ordine*, quem dixi, ſolo, ſcriptum intellegatur) ex iis utriſque, tanquam binis ejuſdem rei teſtimoniis, niſi verum, nihil expectandum. Imo quidem adeo manifeſte Linguam e. g. *Latinam*, aliamve quamvis apud nos in uſu, declarant illius literarum inter ſe *Ratio*, & in verbis componendis *Ordo*, ut nihil

a Linguae ignariſſimo. obſtare videatur, quominus in ea quoddam occulte, ſignis alphabeti Literis reſpondentibus, ſcriptum, *ab illius Linguae ignaro*, involucris exuatur, planius reddatur, &, tametſi prima facie paradoxum haberi poſſit, ejus ſcienti perfacile intellectu; quando *ratione literarum ordineque*

prae-

praedictis, linguam aliquam investigando dignoscere, eamque aliis palam facere, penes sit illius linguae vel ignarissimum.

HOC autem de illa tantum Scriptura valet, quae, vel ex Literis vel (Literarum loco) Signis, *Alphabeto*, sicut dixi, *novo & constanti* facta est. Alios esse non ignoro occulte scribendi modos, qui non ita detectu faciles sint; imo, qui nullo possint ingenio detegi humano: nimirum illi omnes, qui, hujusmodi commercia tenentium ex pacto, solis eorum animis (si demas unum Καρδιογνώστην) nemini vero praeterea mortalium innotescant; nec, cum nullas sive *Rationes*, sive *Ordines*, aliasve, quibus comprehendantur (ut ita dicam) *Ansas* exhibeant, a quoquam unquam comprehendi possint. *Scribendi ratio occultissima,*

DEMUS Σημειογράφους *Cajum* & *Titium* convenire inter se, ut Libri alicujus (Historiae puta *Livianae*, *Plinianae*, *Pandectarum*, *Bibliorum*, aliusve) amplissimi Litera quaeque tertia, quarta, quinta, vel alius numeri aliqua, sic in usum trahatur, ut earum prima locum habeat in novo *Alphabeto* Literae *a*; secunda, *b*; & sic deinceps: Hujusmodi *Alphabeto*, *Titio* & *Cajo* unis omnium mortalium noto, nec ab alio quoquam hominum investigando, *Ut perficiatur.*

non ſine difficultate Scriptura eſſe poteſt tam facilis, quam quod facillimum; tam occulta, quam quod occultiſſimum. Sed ad *Julium* revertamur.

QUOD de verbis *Horatius*,

—Verborum vetus interit aetas,
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque,

Phraſium aetas varia; de Literis, & loquendi formulis idem fere pronuntiandum. Digamma *AEolicum*, ipſo cum inventore periit; tanquam in uſum, illius ſolum gratia, vocatum. Nuſquam apud nos, in iſtius aevi monumentis, inventum memini; quamvis a *Britannia* gloriam ſibi filioque magnam Imperator acquiſivit, & privatus adhuc de tribus Literis a ſe commentis volumen edidiſſet. Non hoc gratiſſimum, quod Digamma ſuum nobis *Claudius* invideret: imo quidem μετεωρίαν ejus ϗ ἀβλεψίαν hanc exiſtimemus. Sed & nonnullae ſunt Literae, Verba, Phraſes, quae multa annorum ſecula perduravere, nullam mutationem, nullam ab iis injuriam paſſae. *Auguſto* Imperante, V pro Conſonante accepta eſt; quae locum ſibi datum ad hunc uſque diem retinuit, eumque confirmatum habet ob Vocalem aliter

for-

formatam. Hujusce numeri Phrasis [*Hic situs est*] quae omni Latinitatis aevo placuit. Sic enim *Ennius* de *Africano*, *Cujus longissima.*

Heic est ille situs, quoi, &c.

In Arca *Annibalis* lapidea inscriptum erat, &, teste † *Aurelio Victore*, suo tempore lectum,

Annibal hic situs est.

Ita *Lucilius*,

Luceili Columella heic situ' Metrophanes.

De seipso *Pacuvius* eleganter.

Hic sunt Poetae Pacuvii Marci *sita*
Ossa: hoc volebam, nescius ne esses; vale.

Ita de *Phaethonte*, *Ovidius*;

Hic situs est Phaethon, &c. & de seipso
Hic situs est Vates, quem Divi Cæsaris *ira*
Augusti, *Patria cedere jussit humo.*

Et ne nimius sim, ita *Tibullus* de *Lygdamo*, *Plinius* alter de *Ruffo*, *Vopiscus* de *Probo*; ita Inscriptio *Capuana*, cum sexcentis aliis.

HIC

† *De viris illustribus*, *Cap.* XLII.

HIC situs est; id est, extra Urbem, ad Viam publicam. Ut, qualis iste locus esset, intelligamus, & *de Via*, & *de Urbe* dicendum.

Viae publicae Romanorum *admirandae*: VIAE *Romanorum* militares, aetatum & nationum multarum opera constructae, sunt ex humanae artis operibus summe admirandis; quorum pauca admodum cum iis conferri debeant, anteponi vero paucissima, sive nulla: & quanquam temporum injuriis, & ruinae quotidiano usu exponuntur, Reipub. tamen illius magnitudinem hodie, post tot annorum secula, sic, ut nihil magis, ostendunt. Unam consideremus *Appiam*, e multis unam, & omnium antiquissimam; quae a *Roma*, ad *Brundusium* usque, Milliaria quadraginta supra tercentum exporrecta, annis abhinc bis millenis emunita, hoc ipso die visenda, calcanda est.

Quae & in Britanniis. UT Provinciae pleraeque omnes aliae, sic & *Britannia* Vias habuit a *Romanis* publicas stratasque. Μυθολόγυ enim nostri *Monumetensis* Rex, *Mulmutius*, ejusque Artes Magicae, rationi rectae prorsus alienae, uni tantum huic sufficiunt, ut Vulgi ejusque similium, de Viis hisce, ac si virtute plus-

quam

quam humana conditis, opinionem monstrent. Historicis sanae mentis omnibus in confesso est, eas a *Romanis* esse factas; quo vero tempore, non ita manifestum. Hanc in rem (quoniam non parum ad *Vitalem* attinet) ut inquiram, primo loco advertendum, eas (ut rectissime *Camdenus*) nec unius Imperatoris, nec unius aevi esse; sed per vices, & successu temporis, uti res *Romanae* tum postularent, tum paterentur, emuniri: deinde, a *Julio Caesare* (*Romano* Imperio inhiante, & ad illud acquirendum ex hac Insula festinanter abeunte) nihil in hoc genere fuisse factum; sed *Claudio* Imperante primas in *Britannia* Vias sterni militares. *Imperante* Claudio *inchoatae:*

CERTISSIMUM est, a *Claudio* Legionum aliquot Exercitum in hac Insula relictum, in ea diu moratum esse; nec improbabile, sive ad evitandas otii corruptelas, sive ad usum publicum, in faciendis hisce Viis, eum, Imperatoris ex jussu, fuisse occupatum. *Imperatoris*, inquam, *ex jussu*: Nam *Appia*, *Aurelia*, *Flaminia*, *AEmilia*, aliaeque Viae publicae complures in *Italia*, commodissimae jam repertae fuerant, & earum ad instar in Provinciis (in *Galliis*, *Provincia* sic dicta, tum *Aquitania*, tum *Lugdunensi*, & *Gessoriacum* usque) *Quod Argumento non uno probabile.*

aliae

aliae dudum munitae. His adde, quod iis, tam in *Italia*, quam in *Provinciis*, ſumtu immodico reficiendis, *Auguſtus* 10 paulo ante ſe Populo commendaverat: Quod *Druſus* 11, trans *Rhenum*, Foſſam novi & immenſi operis effecerat: Quod ipſe *Claudius* 11 *Druſum* Patrem fuerat precatus, ut ſe eadem auſum juvaret: Quodque ille, factus Imperator 11, *Aquaeductum, Emiſſarium Fucini Lacus, Portum Oſtienſem*, aliaque magna Opera, ſic, ut iis delectari videretur, perſecerat; ut denique *Auguſti*, (cujus ei vel nomen carum) Patriſque exemplo, ſuoque Genio ductus, vias in *Britannia*, ſibi Triumphum, ſibi Filioque Cognomen impertiente, publicas ſtraviſſe, non immerito credamus.

Atque adeo propter Aquas Solis.

DE Viis ad *Bathoniam* militaribus, hoc peculiari jure confirmatur, Eas nimirum ſub *Claudio* Imp. fuiſſe inchoatas; quod partim ex iis, quae alibi dicemus, de Urbis iſtius origine; partim ex eo, quod jam proxime dicendum, eliciatur. Ex *Lamina plumbea*, quae in Tropaeum olim erecta fuerat, non procul ab *Ogone* (*Ochy-*

(10) Dio, *Lib.* 53.
(11) Suetonius *in Claudio.*

ſic legendum arbitror, ut literae V S, quae ſine *Puncto* conjunguntur, ſignificent *Votum Solvit.*

HUIC per Literarum compendia ſcribendi modo, affinis eſt *Cryptographia*; quae a Militibus, & res civiles gerentibus omni fere aevo adhibita, praeclarum nuper habuit explicatorem interpretemque, *Johannem Walliſium*, Profeſſorem *Oxoniae Savilianum*, profundi admodum Ingenii Virum, Scriptis celeberrimum. Hic quum *Interpretandi Artem*, excepto tantum ex Filia Nepote, (qui regio ſtipendio muneratus, eam hodie laudabiliter exercet, & in ſecretis habet) cum nemine, quantum ego ſcio communicavit; integrum mihi erit, quid de eo cogitaverim, obiter in medium proferre. Walliſius *Cryptographias Interpres.*

QUI hujuſmodi Scripturae ſtudent occultae, in eo fere ſunt plerique omnes, ut, ſive Literarum mutando poteſtates (& *a* pro *b* ponendo, vel aliquid tale,) ſive Literis neceſſariis otioſas interponendo, ſive utroque hoc modo, *Alphabetum* quoddam inducendo novum, Lectori faciant offucias, ſenſumque, niſi ab *Alphabeti* participe, celare conentur. Jam vero, quando in *Vulgaris.*

Y omni

omni omnino Lingua, primum, Literae omnes, tam *Vocales*, quam *Consonantes*, sunt inter se in certa & peculiari ratione; cumque insuper Literae uniuscujusque Linguae peculiarem habent & privatum *Ordinem*; (quae quidem Literarum inter se *Ratio*, cum earundem *Ordine*, multa lectione diligentique observatione discenda est) nihil impedire mihi videtur, quominus, ex datis *Rationibus Ordineque* praedictis, sciatur id, quod κρυπτογράφεται, tanquam ex Vultu Persona. Imo, quoniam ad hanc rem ex hisce duobus sufficiat alterutrum, (sic ut, intellecta certoque posita *Ratione* praedicta, sive *Ordine*, quem dixi, solo, scriptum intellegatur) ex iis utrisque, tanquam binis ejusdem rei testimoniis, nisi verum, nihil expectandum. Imo quidem adeo manifeste Linguam e. g. *Latinam*, aliamve quamvis apud nos in usu, declarant illius literarum inter se *Ratio*, & in verbis componendis *Ordo*, ut nihil obstare videatur, quominus in ea quoddam occulte, signis alphabeti Literis respondentibus, scriptum, *ab illius Linguae ignaro*, involucris exuatur, planius reddatur, &, tametsi prima facie paradoxum haberi possit, ejus scienti perfacile intellectu: quando *ratione literarum ordineque* prae-

Ut detegatur;

a Linguae ignarissimo.

praedictis, linguam aliquam investigando dignoscere, eamque aliis palam facere, penes sit illius linguae vel ignarissimum.

HOC autem de illa tantum Scriptura valet, quae, vel ex Literis vel (Literarum loco) Signis, *Alphabeto*, sicut dixi, *novo & constanti* facta est. Alios esse non ignoro occulte scribendi modos, qui non ita detectu faciles sint; imo, qui nullo possint ingenio detegi humano: nimirum illi omnes, qui, hujusmodi commercia tenentium ex pacto, solis eorum animis (si demas unum Καρδιογνώστην) nemini vero praeterea mortalium innotescant; nec, cum nullas sive *Rationes*, sive *Ordines*, aliasve, quibus comprehendantur (ut ita dicam) *Ansas* exhibeant, a quoquam unquam comprehendi possint. *Scribendi ratio occultissima,*

DEMUS Σημειογράφους *Cajum* & *Titium* convenire inter se, ut Libri alicujus (Historiae puta *Livianae*, *Plinianae*, *Pandectarum*, *Bibliorum*, aliusve) amplissimi Litera quaeque tertia, quarta, quinta, vel alius numeri aliqua, sic in usum trahatur, ut earum prima locum habeat in novo *Alphabeto* Literae *a*; secunda, *b*; & sic deinceps: Hujusmodi *Alphabeto*, *Titio* & *Cajo* unis omnium mortalium noto, nec ab alio quoquam hominum investigando, *Ut perficiatur.*

non sine difficultate Scriptura esse potest tam facilis, quam quod facillimum; tam occulta, quam quod occultissimum. Sed ad *Julium* revertamur.

QUOD de verbis *Horatius*,

—Verborum vetus interit aetas,
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque,

Phrasium aetas varia; de Literis, & loquendi formulis idem fere pronuntiandum. Digamma *AEolicum*, ipso cum inventore periit; tanquam in usum, illius solum gratia, vocatum. Nusquam apud nos, in istius aevi monumentis, inventum memini; quamvis a *Britannia* gloriam sibi filioque magnam Imperator acquisivit, & privatus adhuc de tribus Literis a se commentis volumen edidisset. Non hoc gratissimum, quod Digamma suum nobis *Claudius* invideret: imo quidem μετεωρίαν ejus καὶ ἀβλεψίαν hanc existimemus. Sed & nonnullae sunt Literae, Verba, Phrases, quae multa annorum secula perduravere, nullam mutationem, nullam ab iis injuriam passae. *Augusto* Imperante, V pro Consonante accepta est; quae locum sibi datum ad hunc usque diem retinuit, eumque confirmatum habet ob Vocalem aliter for-

formatam. Hujusce numeri Phrasis [*Hic situs est*] quae omni Latinitatis aevo placuit. Sic enim *Ennius* de *Africano*, *Cujus longissima.*

Heic est ille situs, quoi, &c.

In Arca *Annibalis* lapidea inscriptum erat, &c. teste † *Aurelio Victore*, suo tempore lectum;

Annibal hic situs est.

Ita *Lucilius*,

Luceili Columella heic situ' Metrophanes.

De seipso *Pacuvius* eleganter.

Hic sunt Poetae Pacuvii Marci *sita*
Ossa : hoc volebam, nescius ne esses ; vale.

Ita de *Phaethonte*, *Ovidius* ;

Hic situs est Phaethon, &c. & de seipso
Hic situs est Vates, quem Divi Cæsaris *ira*
Augusti, *Patria cedere jussit humo.*

Et ne nimius sim, ita *Tibullus* de *Lygdamo*, *Plinius* alter de *Ruffo*, *Vopiscus* de *Probo* ; ita Inscriptio *Capuana*, cum sexcentis aliis.

HIC

† *De viris illustribus*, *Cap.* XLII.

HIC situs est; id est, extra Urbem, ad Viam publicam. Ut, qualis iste locus esset, intelligamus, & *de Via*, & *de Urbe* dicendum.

VIAE *Romanorum* militares, aetatum & nationum multarum opera constructae, sunt ex humanae artis operibus summe admirandis; quorum pauca admodum cum iis conferri debeant, anteponi vero paucissima, sive nulla: & quanquam temporum injuriis, & ruinae quotidiano usu exponuntur, Reipub. tamen illius magnitudinem hodie, post tot annorum secula, sic, ut nihil magis, ostendunt. Unam consideremus *Appiam*, e multis unam, & omnium antiquissimam; quae a *Roma*, ad *Brundusium* usque, Milliaria quadraginta supra tercentum exporrecta, annis abhinc bis millenis emunita, hoc ipso die visenda, calcanda est.

Viae publicae Romanorum *admirandae:*

UT Provinciae pleraeque omnes aliae, sic & *Britannia* Vias habuit a *Romanis* publicas stratasque. Μυθολόγω enim nostri *Monumetensis* Rex, *Mulmutius*, ejusque Artes Magicae, rationi rectae prorsus alienae, uni tantum huic sufficiunt, ut Vulgi ejusque similium, de Viis hisce, ac si virtute plus-quam

Quae & in Britanniis.

quam humana conditis, opinionem monſtrent. Hiſtoricis ſanae mentis omnibus in confeſſo eſt, eas a *Romanis* eſſe factas; quo vero tempore, non ita manifeſtum. Hanc in rem (quoniam non parum ad *Vitalem* attinet) ut inquiram, primo loco advertendum, eas (ut rectiſſime *Camdenus*) nec unius Imperatoris, nec unius aevi eſſe; ſed per vices, & ſucceſſu temporis, uti res *Romanae* tum poſtularent, tum paterentur, emuniri: deinde, a *Julio Caeſare* (*Romano* Imperio inhiante, & ad illud acquirendum ex hac Inſula feſtinanter abeunte) nihil in hoc genere fuiſſe factum; ſed *Claudio* Imperante primas in *Britannia* Vias ſterni militares. *Imperante* Claudio *inchoatae:*

CERTISSIMUM eſt, a *Claudio* Legionum aliquot Exercitum in hac Inſula relictum, in ea diu moratum eſſe; nec improbabile, ſive ad evitandas otii corruptelas, ſive ad uſum publicum, in faciendis hiſce Viis, eum, Imperatoris ex juſſu, fuiſſe occupatum. *Imperatoris*, inquam, *ex juſſu*: Nam *Appia*, *Aurelia*, *Flaminia*, *AEmilia*, aliaeque Viae publicae complures in *Italia*, commodiſſimae jam repertae fuerant, & earum ad inſtar in Provinciis (in *Galliis*, *Provincia* ſic dicta, tum *Aquitania*, tum *Lugdunenſi*, & *Geſſoriacum* uſque) *Quod Argumento non uno probabile.*

aliae

aliae dudum munitae. His adde, quod iis, tam in *Italia*, quam in *Provinciis*, ſumtu immodico reficiendis, *Auguſtus* [10] paulo ante ſe Populo commendaverat: Quod *Druſus* [11], trans *Rhenum*, Foſſam novi & immenſi operis effecerat: Quod ipſe *Claudius* [11] *Druſum* Patrem fuerat precatus, ut ſe eadem auſum juvaret: Quodque ille, factus Imperator [11], *Aquaeductum*, *Emiſſarium Fucini Lacus*, *Portum Oſtienſem*, aliaque magna Opera, ſic, ut iis delectari videretur, perfecerat; ut denique *Auguſti*, (cujus ei vel nomen carum) Patriſque exemplo, ſuoque Genio ductus, vias in *Britannia*, ſibi Triumphum, ſibi Filioque Cognomen impertiente, publicas ſtraviſſe, non immerito credamus.

DE Viis ad *Bathoniam* militaribus, hoc peculiari jure confirmatur, Eas nimirum ſub *Claudio* Imp. fuiſſe inchoatas; quod partim ex iis, quae alibi dicemus, de Urbis iſtius origine; partim ex eo, quod jam proxime dicendum, eliciatur. Ex *Lamina plumbea*, quae in Tropaeum olim erecta fuerat, non procul ab *Ogone* (*Ocby-*

Atque adeo propter Aquas Solis.

(10) Dio, *Lib.* 53.
(11) Suetonius *in Claudio.*

(*Ochy-hole*) in Comitatu *Somerset*, aratro jam [12] pridem eruta, cujus haec Inscriptio fuit,

TI. CLAVDIVS CAESAR. AVG. P. M.
TRIB. P. VIIII. IMP. XVI. DE BRITAN.

hac, inquam, ex *Lamina* patet, Exercitum *Claudianum*, aut magnam ejus partem, *Antistio* & *Suillio* Coss. (id est, secundum *Savilium*, A. D. 51.) ejus in vicinitate versari; patet eum, proeliis jam confectis, domitisque hostibus, eo terrarum tractu otiari; quidni dicamus, sub idem tempus in *Viis hisce publicis* operam navare.

IN Viis hujusmodi faciendis, una cum Militibus Legionariis, Plebis etiam Provincialis opera usi sunt *Romani*; eodem plane consilio atque *Israelitis* in Pyramidibus aedificandis *AEgyptii*, nimirum ut labore eos detererent: qua ab iis male habita; fustibus, flagris, oppobriis affecta, gravissima exstat hac de re querela in laudatissima illa [13] *Galgaci* Oratione; qua, ut recte *Lipsius*, in omni *Romana* Lingua nihil prudentius,

Galgaci ***Oratio laudatissima.***

Z

(12) *Vide* Camdeni *Belgas.*
(13) *Vitam Agricolae.*

dentius, disertius, argutius: addam etiam nihil animosius, aut homine libero magis dignum. [*Bona*, inquit magnanimus ille *Caledonius*, Libertatis patriae strenuissimus assertor, *fortunasque in tributum egerunt* [*Romani*;] *in annonam frumentum. Corpora ipsa, ac manus Sylvis ac Paludibus emuniendis, verbera inter ac contumelias conterunt. Nata servituti mancipia semel veneunt, atque ultro a dominis aluntur.* Britannia *servitutem suam cotidie emit, cotidie pascit.*]

AD illustrandam hancce rem, non parum lucis affert exercitus in *Britannia Romani*, per hosce septem & viginti annos, ab expeditione *Claudiana* ad *Neronis* mortem, magnitudo: haec autem (uti res modo pacata, modo turbulenta postulavit) diversa fuit; raro tribus Legionibus (id est, millibus octodecim) minor, aliquando duplo, aliquando triplo major. *Romanorum*, qua Civium, qua Sociorum numerus in primo cum *Boadicia* proelio occisorum, a (14) *Tacito* septuaginta millia; a *Xiphilino* (15) octoginta millia dicitur. At hujusmodi

Romani *Exercitus in* Britannia *magnitudo.*

(14) *Annal. Lib.* 14. *Cap.* 33.
(15) *Pag.* 700.

modi exercitum, quoties a proeliis vacaverit, praecipue post devictam sub *Paulino Boadiciam*, cum populis foederatis, aliasque passim *Britanniae* Nationes sub *Plautio*, *Vespasiano*, aliisque *Romanis* Ducibus, in Viis muniendis, ex prudentia *Romanorum* militari, operam impendere, potius quam nihil agere, aut otio diffluere, cogitandum est. Haec sunt, quae arguere videntur, Vias ad *Aquas Solis* Militares, Imperantibus *Claudio* & *Nerone*, fuisse coeptas.

UT ad eas speciatim descendamus, Viae *Romanorum* militares, prope *Bathoniam*, numero quatuor observatae sunt, (vide *Tabulam sept.*) quarum una *Trajectum* (*Oldbury*) tendit, ad *Sabrinae* ripam; recta quidem in Tabula *Burtoniana*, sed in *Galeana*, majori cum probabilitate, & correctius, per *Abonem*, (*Hanham*) quae est a sinistra: Altera versus occidentem, *Belgas* (*Wells*) & *Ischalim* (*Ilchester*:) Tertia *Verlucionem*, quae aliorum Urbs est *Warminster*, aliorum, & quidem verisimilius, *Westbury*: Quarta *Durocorinium*, sive *Ravennatis Corinium Dobunorum*, (*Cirencester*) in Oriente pertinens. Secunda & Quarta non sunt in *Antonini* Itinerario; sed, quod majoris est momenti, earum

Quadrivium ad Aquas Solis Romanum:

partes, jugo notabili eminentes hodieque conſpiciuntur, & a viatoribus teruntur. Hae quatuor Viae *Bathoniis* concurrunt, ſed non eodem modo: Nam a *Verlucione* quae porrecta eſt, Fluvium *Avonem*, tertio vel quarto ſupra Urbem lapide, traducta, in eam ſe aperit, qua a *Durocorinio* itur; atque hae duae jam una *Via ducit in Urbem*: contra vero diſtincte reliquarum ſingula eam pertingit. Harum quatuor Viarum gruma, ſive concurſu, uno circiter ab Urbe lapide, ſepultus eſt *Vitalis*, & eodem Sepulcreto *Vibia Jucunda*, *Cajus Murrius*, & ex eadem XXa Legione *Marcus Valerius*, (quorum omnium hodie ſuperſunt 16 monumenta) cum pleriſque aliis, ſicut ex rebus eo loci effoſſis autumare licet, quorum monumenta periere.

In quo Vitalis *ſepultura*; *Aliorumque.*


ALIA *Romanorum* apud nos Sepulcreta detexere Viri Clariſſimi 17 *Camdenus*, 18 *Evelynus*; ille ad *Londinum*; hic apud *Rhegnos*: quorum neutri, quantum ex reliquiis patet, *Juliamum* hoc ſecundum: quod proinde *Romanorum* omnium, quae in hac Inſula nunc viſuntur, nobiliſſimum eſt habendum.

Sepulcretum Nobiliſſimum.

DE

(16) Camdeni *Somerſet.* (17) *Middleſex.*
(18) *In Additamentis ad Suth-rey.*

Quadrivium, ad Aquas Solis, *Romanum:* *quod œre* Civitas *incidi voluit.*



A *Aquæ Solis*, Bath.
B *Durocorinium*, Cirenceſter.
C *Verlucio*, Weſtbury.
D *Abone*, Hanham.
E *Belgæ*, Wells.
F *Trajectus*, Oldbury.
G *Sepulcretum* Julianum.
H Durocorinio *et* Verlucione *ad* Aquas Solis, *Viarum concurſus*.
II *Abo Fluvius. The River* Avon.
K *Ischalis*. Ilcheſter.

DE *Viis* jam diximus, & in *Notitia Belgii* nostri de *Urbe*. Restat, ut optemus, hujusmodi plura nobis, *Extra Urbes*, Sepulcreta esse; in quibus Ossa Mortuorum molliter cubare permitterentur. Omnis enim aevi, & gentis, sapientiae professoribus in ore fuit, ut Mortuis habeatur Honos; ut Amicorum, & Propinquorum, quibus familiariter usi fuimus; ut Parentum, quorum amore & cura, tum nati, tum educati sustentatique; ut Conjugum, quorum brachiis accepti; ut Liberorum, quorum blandiloquentia capti fuimus; ut omnium, qui naturae nobiscum humanae participes fuere, eorum, jam a nobis ereptorum & humo conditorum, in sepulcro quiescant Ossa. Hoc postremum erga illos humanitatis, amoris, pietatis indicium; haec nostrorum memoriae, haec Monumentorum sanctitati debetur reverentia.

Plura, extra Urbes, sepulcreta desiderantur;

PUDET ergo Sepulturae posthabita (quae omnium consensu gentium, omnis aevi, maxima esse debet) reverentia, perturbari, & vicinorum, amicorum, affinium, consanguineorum Ossa, tanquam acie instituta se invicem confodientium, & mutuis vulneribus occisorum, inter se confundi. Pudet ea, carne semitecta, tabe squal-

Ut Mortuis honos habeatur;

squallida, sanie tetra, naribus gravia, tumulis evelli, huc illuc agitari. Si mortuos minime curemus, saltem eorum misereamur, qui sunt in vivis; & Febrium malignarum pestilentiumque, ab istiusmodi contagio nasci solitarum, habita consideratione, vivos a mortuis defendamus: quod, ut omnibus locis, populo frequenti cultis, ita quidem in Urbibus est imprimis ad salutem publicam necessarium. Sin nihil nos affecerint humana, at divini cultus habeatur ratio: Pudeat *Templum* in *Aceldama* verti: quod, ne diutius sit, cavere, Magistratu dignissimum opus videtur.

Neque Templum in Aceldama vertatur.

EXTRA *Urbem* sepeliendi mos invaluit, ante latas a Decemviris Leges; quod argumento non uno probat [19] *Kirchmannus:* Cum mos ille laudabilis abolevit, primum a Decemviris confirmatus est; sic enim illi in XII. Tabulis, [*Hominem mortuum in Urbe ne sepelito, neve urito.*] Postea, *Duillio* Cos. Senatus prohibuit, & lege cavit, [*Ne quis in Urbe sepeliretur.*] Quod etiam cautum ab *Adriano* Imp. ab *Antonino Pio* Imp. & a *Diocletiano Maximianoque*

Romanis *&c. extra Urbem in more sepultura.*

(19) *De Funeribus* Romanorum *Lib.* 2. *sub finem.*

anoque Impp. Uti etiam ab exteris nationibus, *Judaeis*, *Athenienſibus*, *Smyrnaeis*, *Sicyoniis*, *Delijs*, *Corinthijs*, *Syracuſanis*, ſicut exemplis quam plurimis oſtendit doctiſſimus Auctor.

IN Eccleſia ne fiat Sepultura, legibus ſaepe vetitum fuit: Imppp. *Gratianus*, *Valentinianus*, & *Theodoſius* A. A. A. *Pancratio* Praefecto Urbi reſcripſere, 20 [*Nemo Apoſtolorum vel Martyrum ſedem humanis* (annon *humandis*?) *Corporibus exiſtimet eſſe conceſſam.* Lege ultima Cod. *Theodoſiani* XVII, Μηδεὶς ἐν Ἐκκλησίᾳ θαπτέτω νεκρόν. *Nullus in Eccleſia ſepeliat Mortuum.* Inter *Caroli* Magni Leges, Caput exſtat: [*Ut nullus deinceps in Eccleſia mortuum ſepeliat.*] Id ipſum ſanxit Conſilium *Braccarenſe* primum; [*Item placuit, ut Corpora defunctorum nullo modo intra Baſilicam ſanctorum ſepeliantur; ſed ſi neceſſe eſt deforis circa murum Baſilicae.*] Haec e *Kirchmanno* toties laudato.

Ne ſit in Eccleſia, Legibus ſaepe vetitum.

EXTOLLENDA ergo Pietas, Honoſque Templo habitus, a Viro, Sanctitate morum & Caritate plane *Chriſtiana* inſigni, Reverendo admodum *Thoma Kenn*, qui a Familia ſui nominis pervetuſta, de

Epiſcopi Batho-Wellenſis Ἐγκώμιον.

(20) *Cod. de Sacro-Sanct. Eccleſia. Leg.* 11.

Kenn-

Kenn-Castle in Comitatu *Somerset* originem ducens, & ad Episcopatum *Batho-Wellensem* evectus, non ita pridem mortuus, in Coemeterio Ecclesiae *Frome-Selwood*, Corpus, abstinentia & aetate confectum, (uti audio) sepeliri jussit.

De Inscriptionis Orthographia, Dignitate, Ornamentis, Usu, &c.

Inscriptiones optime docent Orthographiam:

NON abs re futurum arbitror, hic loci de Inscriptionis hujus *Orthographia*, aliisque ejus accidentibus, paucis differere. Qui *Orthographiam*, numeris suis absolutam, a Lapidibus exspectaverit, nae ille omnino frustra erit. Optime quidem illam hi docent; sed & contra illius leges quam saepissime, quam gravissime peccant: quorum alterum eorum fidei debetur, alterum inscitiae caelatorum. *Orthographiae* sunt *Puncta*, *Literae*, & earum in *Syllabas* conjunctio; de quibus singulatim.

Et contra eam saepissime peccant.

PUNCTA

Puncta quem in finem adhibeantur;

PUNCTA hodie ſententias, earumque membra dividunt; & pro eorum diverſitate ſunt diverſa: Verum initio *Romanis*, qui Literas (ut e vetuſtis Inſcriptionibus etiamnum patet) continuata ſerie ſcripſerunt, nulla fuiſſe conſtat. Quo Verborum inde confuſio vitaretur, *Puncta* in uſum adhibebantur; Verbis omnibus poſtponebantur, eaque non unius formae. Alia namque rotunda, alia quadrata; & ex iis alia aequilatera, alia Rhomboidea: Alia trilatera; alia tribrachiata, nunc Graecum λ, nunc τ, nunc everſum Ὑ´ψιλον λ repraeſentantia; interdum brachiis aeque diſtantibus, interdum alio alioque divaricatis; interdum duplicia, ſed plerumque ſimplicia, *Romanis* apud nos *Britannos* Inſcriptionibus inveniuntur.

Hic trilatera, & aequilatera.

EA, quae *Julianae* ſunt Inſcriptionis, ut doctiſſimus & oculatiſſimus αὐτόπτης mihi per literas ſignificavit, iſtiuſmodi ſunt, quae principio trilatera, & aequilatera ſe fuiſſe agnoſcant omnia. Talia nunc cernuntur ſex, ſeptem; ut in Tab. 1; reliqua tempore plus minus exeſa; cuncta vero Literarum medio, non (ut nunc dierum mos eſt) imo appoſita.

Primae Vocalis forma, cadente Imperio.

PRIMA Vocalis ſine Linea tranſverſa, ut in NATIONE (de qua ſupra Sectione VII) exeuntis eſt Latinitatis. Saepe occurrit in *Reineſii Syntagmate*, & *Camdeni Britannia*; ſed multo ſaepius in *Aringhi Roma Subterranea.* Altera Vocalis E modo tres lineas habet parallelas, & aequales; modo ſupremam brevem, reliquas & longiores & aequales; quod in Vocibus COLECIO. FABRICE. & in Vocali omnium ultima, oſtendit Tabula I.

Secundae admodum peculiaris.

LITERA [V] quamvis officio duplici fungatur, tam nempe Conſonantis, quam Vocalis, unam eandemque retinet in hac Inſcriptione figuram; eam nempe, quam accipere dicitur a Litera *Pythagorica* Y, reciſo ſcapo. Pronunciationem habet τῦ W, ſic, ut *Vitalis* pronuncietur *Witalis*, labris apertis; non, ut cum τὸ *Vi* efferimus, labrum infimum ad dentes ſuperos elevando. Ita noſtrates *Wine*, *Widow*, *Waſt*, a Latinorum *Vino*, *Vidua*, *Vaſto* ſibi finxerunt.

V Conſonantis Pronuntiatio.

Vocalis U Baſis a Veteribus arcuata.

DE [U] Vocalis forma, Grammaticis inter ſe non convenit. Alii modo ſcriptam [V] volunt; alii Baſin nunc arcuatam, nunc in angulos rectos formatam. Formam hanc recentem eſſe, tradit in *Orthographia* Clariſſ. *Cellarius* [*Majuſculae*, ait,

id

id est veteris Romanae *Scripturae una figura* V *fuit, sive ea Vocalem, sive Consonantem significaret; id quod ex Nummis & Inscriptionibus manifestum est. Nec dum centesimus annus est, quum altera* U, U *Vocalis literae quae nota esset adjiceretur.*] Virum utique doctissimum, & de republica literaria multis nominibus bene meritum, hac in re non parum alucinari suspicor. Vocalem enim hanc, cum Basi semicirculata, saepissime scriptam, observare licet, (ut de hac re certiorem me fecit, tam Humanitate, quam Literis vir excellens, *Tho. Hearne*, a *Bodleio*,) in duobus apud eum MSS. pervetustis, Charactere majusculo exaratis: Horum alterum est *Actorum Apostolorum*, inter MSS. *Laudiana*, Graece & Latine, annorum minimum mille: alterum *Canonum Ecclesiasticorum.* In *Bibliotheca Juris Canonici veteris*, studio 1 *G. Voellii*, & *Hen. Justelli*, edita, pag. 141, ubi incipit Synodus apud *Carthaginem*, ita legimus, [*cum* Aurelius Papa, *una cum* Valentino *primae sedis provinciae*, &c.] quae utique verba *Henricus*, e *Christophori* Patris Codice MS. quem in hac

Quod probatur,

E MSS. pervetustis.

A a 2 Edi-

(1) *Lutetiae Parisiorum.* CIↃIↃCLXI.

Editione καθ' ὅλε secutus est, desumsit. Codex autem ille celeberrimus, Academiae *Oxoniensi* dono datus, hujusmodi Vocalem U ostendit creberrime: sic, ut pateat latam hujus Vocalis Basin, antiquis non tantum in usu, sed & *frequenti* fuisse. Excerpta haec Verba, ut & ex MS. *Laudiano* alia, quae sunt *Act. App.* Cap. II. V. 2. exhibebit *Tabula octava.* Haec e Thesauro Librorum *Oxoniensi*; quibus addi potest, quod Doctissimus 2 *Mabillonius*, de *Virgilio* in Bibliotheca *Vaticana* MS, quem multis & gravibus de causis, ante sexcentos a mille annis, fuisse scriptum existimat, asserere non dubitaverit, nempe quod [*Litera* U *quadrata passim illo in Codice occurrit:*] ut de hac re nullus supersit dubitandi locus.

Acuata U TANTUM abest, ut in rebus nuper inventis, & Latinae Linguae accedentibus, Vocalis hujusce formam habeamus; ut illam e contrario Lingua ipsa Latina vetustiorem esse, pene ducor ad suspicandum. Quod ne temere dictum quis existimet, advertat, oro, Lamellam, ex 3 *Olai*

Wormii

(2) *In Itinere Italico.*
(3) *Literatura Runicae, pag.*

Wormii Tabula, varietates Literarum *Runicarum* exhibente ſumtam, & in *Tabula* noſtra *octava*, Fig. III. inciſam; quae varios Literarum iſtius Alphabeti, τῷ V reſpondentium, ductus exprimit. Eſt ibi loco ſexto Λ, id eſt, Litera V inverſa; loco nono, ∏; ſeptimo, ∩; ſecundo, ∏; tertio, ∩; quarto, ∧; octavo, ∩; decimo, ∏; omnes Vocalem hanc inverſam repraeſentantes. Poſtremo loco V/; (quae & τῷ F aequivalet) a qua, brachia obliqua in recta commutando, & Literam invertendo, uti plane factum eſt Digamma *Æolicum* (qua in opinione conſentientes habemus (4) *Olaum Wormium*, *Bon. Vulcanium*, & Anonymum Commentatorem in Alphabetum *Gothicum*, a *Vulcanio* editum;) ita quidni liceat exiſtimare, lata Baſi Vocalem hanc, ex eodem Alphabeto, *Runer* appellato, ſumi: Digamma quidem a *Claudio*, Vocalem hanc a *Julio Caeſare*, Grammatices ſtudioſo, & in vicinia *Germaniae* diu verſato, vel ab alio *Romanorum* aliquo, Literaturae *Runicae* non ignaro. п *inverſi* ц *figuram oſtendit*, ait

Lingua Latina *forſan antiquior*,

(5) *Wor-*

(4) *Pag.* 124.

5 *Wormius, eandemque fere poteſtatem obtinet.* Literas autem *Runicas*, cum *Graecis* & *Latinis* (quarum hae ab illis magna ex parte ſunt formatae) convenire, ſatis ab *Olao* probatum eſt; ut & utriſque hiſce *Runicas* antiquiores 6 eſſe. Ut argumento finem imponam, V videtur origine *Graeca* eſſe, U *Runica*: Prior in Lapidibus uſitatior, forſan ob facilitatem incidendi.

Utpote Runica.

LITERA minuſcula *i* in voce FABRICıESIS, iterumque in COLECıO, & in Literis numeralibus ıX, majoribus interſeritur ex veteri conſuetudine. Linguae *Latinae* Literarum magnitudo, & forma, raro diu eadem: Nam antiquiſſimae Inſcriptiones Literas habent *Latinas Graecis* interpoſitas: tum omiſſis *Graecis*, *Latinae* erant ſolae, & quadratae: deinde facta earum diviſione, majoribus immiſtae ſunt minuſculae; ut in hac Inſcriptione, & ſexcentis aliis: dein *Latinis Saxonicae*, ut in *Eliſegi* (fuit ille *Poviſiae* Princeps) Monumento, Anno circiter DCCCL. in Agro 7 *Denbejenſi* erecto; & celebratiſſimo

Literae minuſculae majoribus interpoſitae.

E diverſis Alphabetis Literae miſcellae.

(5) *Literaturae Runicae, pag.* 124. (6) 122, 3.
(7) *Vide* Ed. Lhuydi *Archaeologiam Britannicam.* Oxford. MDCCVII. *pag.* 229.

mo illo magni *Ælfredi* Cimelio, ad *Pedredum* haud ita pridem invento, & figura *Actis Philosophicis* [8] edita, descripto. Ita nempe mutationem in Literis fecit interdum usus, & rerum necessitas; aliquando humanum ingenium, in omni propemodum re versatile, & novitatis avidum.

Syllabarum iniqua divisio.

SYLLABAE in Lapidibus immane quantum distrahuntur: Nunc P—ORTICVM, nunc E—X, nunc POSVI—T, nunc D—VLCIS, & in hac nostra Inscriptione cernuntur FABRICıES—IS, STIPENDIOR—VM, BE—LGA, ELATV—S; ejusdem Syllabae Literis in diversas lineas, contra Canones Orthographicos, divisis. At hoc Lithotomis parum est.

Notitia Veterum optime Lapidibus servata; unde

AB hac Inscriptione, & hujusmodi aliis, observare licet, antiquarum rerum Notitiam iis optime omnium conservari, nobisque post tot annorum spatia fidelissime tradi. Nullum hic Adulterium; nulla fraus artificum; simulatio nulla: Sed pura puta genuina Veritas; supra quam a Papyro, Membrana, Linteo; quam a Plumbo, Aere, Argento, vel Auro, aliove quovis e veterum reliquiis, aut elici possit, aut spe-

(8) N°. 247.

ſperari debeat. Quoti ſunt in Hiſtoria, in Chronologia, in omni pene re antiqua, quantique momenti apices, qui niſi Lapidibus ſervati, prorſus intercidiſſent, & a Lapidibus ſolis ſervari potuiſſent? Inde merito Diſciplinae & Sapientiae conſultis, ſincerae ſimpliciſque Veritatis hi Cuſtodes ſunt auro contra; ex Barbarorum manibus quovis pretio redimuntur; non ſine magno labore & expenſa, domum ab iis ex longinquo advehuntur; inter AEdium ornamenta locantur; Magnatum atriis, hortis, domibus; Regum Palatiis Ornamenta. Magiſtratus *Bathonienſis*, ut Civitatis ſuae ſtuderet tum antiquitati, tum etiam dignitati, *Julii Vitalis* Stelam, multa annorum ſecula (quod ex Literarum integritate conjecto) abditam, Ambulacri muro affixit, tanquam Urbis ſuae pervetuſtae, origine *Romanae*, totiuſque *Belgicae* Nationis inſigne quidem & venerabile Monumentum.

Dignitas Inſcriptionum;

Hujus ſpeciatim.

QUOMODOCUNQUE vero magna ſit Inſcriptionum excellentia, Lapidumque fides, non defectibus eos carere, atque adeo iis ſcatere, & abundare conſtat. Multum hic AEtati attribuendum, duriſſimorum Marmorum edaci, mortuorum Tumulis non parcenti. In noſtris *Oxonienſibus* quae lacunae, quot deſiderata? Chronicon

Inſcriptionum Defectus; a Lapidibus aetate exeſis;

nicon illud *Arundelianum*, Monumentorum Antiquitatis, quae ſuperſunt, longe praeſtantiſſimum, injuria temporis ſervatum eſt, tanquam e Naufragio Fragmentum. Multum hic Inſcitiae debetur Operariorum, multum Incuriae tranſcribentium. Quis ſine ſtupore legerit DOMVS. AVRIA. pro DOMV. SAVARIA. quis MATRI. VIRILISSIMAE. PII. pro MATRI. IVTRICI. PIISSIMAE. quae a *Reineſio* proferuntur, ſicut alia poſſunt ex aliis Auctoribus iſtiuſmodi proferri quampluri-ma. At tranſcribentium errata numero pene ſunt infinita, excuſationeque indigniſſima; ea praecipue de cauſa, quoniam doctrina & literis imbutos homines, in rebus ſummi aliquando momenti fugientibus ſiſtendis, arguant non ſatis accuratos. Quis *Camdeno* & *Guidotto*, rerum antiquarum amantiſſimis, earumque ſcientiſſimis, in *Aquarum Calidarum* Inſcriptionibus ἀυτοψία delineandis, adhiberi fidem, minime tuto poſſe ſuſpicabitur? Ipſarum autem Inſcriptionum Editio, quam a Cl. *Liſtero* poſt accepimus, quanto correctior & emendatior? Quis, pro Lapidum V, a Viris literatiſſimis & κειμηλιώταις, iiſque fere omnibus, toties exſcribi poſſe U, vel ſecum cogitaverit? Contenti ſimus ea ca-

a Sculptorum Inſcitia;

a tranſcribentium Incuria;

quae utique magna:

 ligine

ligine rerum, in qua *necessario* versamur; reliquam vero, *quae in nostra est potestate*, quoad ejus fieri potest, dissipemus; eaque dissipata laetemur, & luce, quam Divina nobis Benevolentia concessit, in Divini nominis Honorem uti connitamur.

Sed in hujus Editione non multam esse, confido.

UT *Julianae* Inscriptionis Editionem, quam possem, accuratam adornarem, nec unius viri, nec indocti lectionibus, iterum & saepius repetitis confirmatam eam, calamo graphice exaratam, in cuprum affabre incisam, ad literarum in Cippo ductum & figuram, edidi: Qui quidem Inscriptiones edendi modus, eo, qui per Typographorum literas sui generis, suisque formis figuratas, & a sculptis plurimum differentes efficitur, longe praestantior, a Doctiss. *Listero* jam † olim orbi literato fuit commendatus.

MNHMEIA Veteres exornarunt diversarum rerum simulacris, ut Triumphorum, Sacrificiorum, Deorum, Venationum, Pugnarum, Suppliciorum, &c. de quibus *Broissardus* & *Fabricius* copiose, &

(†) *Actis Philosophicis.* N°. 155.

& ex illis breviter 9 *Kirchmannus.* In iis, quae *Romanorum* apud nos supersunt, obtueri licet *ipsas Inscriptiones*, magna ex parte Herbis, tanquam humanae imbecillitatis & brevis vitae optimis indiciis, ornatas; iisque in Lapidem fere incisis: in quibus eligendis Sculptores, arbitratu & ingenio suo plerumque usi, nunc Rorismarini, nunc Periclymeni ramum, nunc Verbenae folium caelo repraesentarunt. *Extra limites Inscriptionum*, vacua Lapidum spatia figuris non unius generis implentur. *Julii* Μνημεῖον fastigium habet acuminatum, & in eo Triangulum isosceles, Orbi circumscriptum; ex cujus utroque ad Basin angulo, assurgit Iridis (si recte conjicio) Flos; qui, foliis apertis & versus Orbem expansis, eum amplecti nititur. Enimvero nobile hoc Emblema mortis, universo Orbi communis; &, si studiose, certe ingeniose confictum. Huic non multum absimile illud, in quo Corvus, avium nigerrimus, Orbi insedit, crocitans, & extensis alis eum diverberans: quod a 10 *Gratio* sic describitur,

Cippi *hujus Ornamenta*,

---

(9) *De Funeribus, Lib.* 3. *Cap.* 17.
(10) *Vide Cynegeticon, & in illud Notas viri eruditissimi* Christophori Wase.

Stat Fatum supra, totumque avidissimus (Orcus
Pascitur, & nigris Orbem circumsonat (alis.

CIPPO hoc conspecto, Viatoribus licebit in mentem vocare Aquarum istius loci virtutes, quasi sexcentos supra millenos annos, a *Romanis* agnitas; Vena terrae benignissima perpetuo calefactas, & ad hunc usque diem, ab alieni mistura, miro quodam artificio, servatas: Adhaec *Urbem*, media Palude, fundamento fistucato, Aquarum ergo, conditam; & quidem a *Romanis*, Populo universi generis humani gloriosissimo: Tam magnifica, & justa illius Civitatis ostentatio! Licebit iis secum perpendere *Legiones*, *Fabricas*, *Vias Romanorum militares*, aliasque eorum magnitudinis apud nos reliquias. Licebit etiam *Personarum*, *Nationum*, *Imperiorum* vices animo agitare: *Romani* vices *Imperii*, ut ut omnium maximi nobilissimique, jam olim a *Barbaris* eversi. Nationis *Britanno-Belgicae* vices, tempore tam obscuratae, ut de illius Sede, ne dicam Memoria, sit hodie dubitatio. Personarum vices ostendit *Julii Vitalis*, istiusque vel Monumenti

Usus.

se-

ſepultura. Meminerint τδεϛπόϑ, tametſi forma & viribus redintegratis alacres, (certe meminiſſe expedit) perbrevem iſtam fore Sanationem, perbrevem Vitam; &, cum *ubique mors ſit*, vel in amoeno iſthoc Ambulacro ſpatiantibus, Lethi viam a ſe calcari: Denique meminerint, tam illos eſſe, quam *Julium* fuiſſe mortalem; & *nihil Sepulcrorum Inſcriptiones, nihil Elogia magis ſignificare, quam ut nos futura etiam cogitemus.*

UT rem Inſcriptionis omnem brevi percurram, indubitatae fidei Monumento hoc elicimus, primo, *Belgas* aliquem in *Britannia* tractum olim tenuiſſe; quod alio quovis Lapide non videtur exprimi; & ex eorum Natione *Julium* hunc fuiſſe *Vitalem*: Tum *Fabricam* (ita dictam κατ᾽ ἐξοχὴν) *Aquis*, quod orbi literato jam diu latuit, fuiſſe *Calidis*: Deinde *Legionis Viceſimae*, *Valerianae Victricis* (ut oſtendimus) appellatae, partem aliquam ibi egiſſe, & ex ea *Julium*, Civem *Romanum*, iſtius *Legionis Fabricenſem*: Stipendia porro novem eum meruiſſe; *Collegio Fabricenſium*, quod eo loci fuit, dilectum eſſe, & in familiaribus habitum, forſan ei Praepoſitum: Collegii ſumtu, Mortuum

Inſcriptionis ſumma.

um honorifice elatum; ad *Quadrivium militare*, Sepulcreto nobilissimo, in suburbiis sepultum; *Cippo* isthoc honestatum; posterisque, ut illum ii non nesciant, commendatum.

Conclusio. PLURA de *Vitali* sum meditatus; uti etiam de aliis rebus antiquis, eodem Sepulcreto, vel ejus vicinia, non ita pridem effossis: Sed (ut *Columellae* verbis parum mutatis utar)

———Cinthius *aurem*
Vellens, inceptum Podagrae *finire laborem*
Jussit; *at hos* Aloe, Suso, *plenos* Amarantho,
Et tristi Viola, *jussit claudamus ut* Hortos:
Claudimus, Imperioque tuo paremus, Apollo.

F I N I S.

INDEX AUCTORUM,

Qui in hoc Opusculo laudantur, emendantur, illustrantur.

A

Am-

B

Broissar-

C

E

E

F

G

H

I

K

L

Lazius

M

N

N

O

P

R

S

Spartia-

T

U

W

W

X

Y

Z

FINIS.

ERRATA, in *Notis Criticis* & *Explicatione*, ſic ab eorum Auctore ſunt correcta.

PAG. 6, Linea 5, lege *Conſtitutio.*
L. 7, l. *Praetoria.*
L. 10, l. *Regiam*
L. 20, l. *ſolitae*
P. 7, L. 7, l. *Auri, quod fuerat*
P. 15, L. 20, l. *ἡ πρώτη καὶ*
L. 21, pro 4. *E L.* 3. lege *H. Eccl. L.* III. c. 39.
P. 24, L. ult. pro *CHAP.* l. *SECT.*
P. 28, L. 13, pro *deſignatique* l. *deſignatio*
P. 33, L. 7, l. *Macedonibus*
P. 35, L. 20, l. *itidem*
P. 39, L. 26, l. Ἀρχῶν.

ERRATA in *Commentario* ſic corrigenda ſunt.

PAG. 60, l. 22, l. *in Conſtitutionibus*
P. 61, L. 18, pro 598, l. 398.
P. 62, L. 10, l. *Commentariis, & Conſtitutionibus*
P. 72. L. 1. in Margine l. *Proelio.*
P. 107, L. penult. l. *Somerſet*
P. 112, L. 17, l. *Ptolemaei*
P. 114, L. antepen. l. περὶ
P. 126, L. 2, l. *veriſimilius*
P. 143, L. 14, pro *quintam* l. *ſeptimam*
P. 146, in margine, l. *Sacrarum.*
P. 150, L. 19, l. *Veteres*
P. 168, L. 14, pro *ductus* l. *ductum.*
P. 180, L. 12, pro *Vaticana*, legendum forte *Laurentiana.*

EPITOME.

EXPLICATIO

SECTIO I.

EPITOME.

SECTIO I.

JVLIVS . VITALIS.

SECT. II.

FABRICIESIS.

SECT.

EPITOME.

SECT. III.

LEG. XX.

Expe-

Diocle-

SECT. IV.

V. V.

Altera,

SECTIO V.

STIPENDIORUM IX.

SECT. VI.

AMOR. XXIX.

SECT. VII.

NATIONE.

SECT. VIII.

BELGA.

Bri-

Sect. VIIII.

EX. COLECiO. FABRICE.

Arma

SECTIO X.

ELATUS.

SECT. XI.

H S E

Unde

Ne

De Inscriptionis Orthographia, Dignitate, Ornamentis, Usu, &c.

De-

Antiquitates Rutupinæ. Authore Joanne Battely, S. T. P. *Archidiacono Cantuariensi.* Oxoniæ, *e Theatro* Sheldoniano. A.D. MDCCXI.

FINIS.

